
DR. ERNST DARMSTAEDTER
No. 467
COLLECTION

DISSERTATIO ACADEMICA DE AUREO VELLERE AUT POSSIBILITATE TRANSMUTATIONIS METALLORUM

HANC

PRÆSIDE

JOHANNE CONRADO CREILINGIO,

PHYSICÆ EXPERIMENT. ET MATHEMAT. PROFESSORE ORDINARIO, SENATUS UNIVERSITATIS SENIORE, CONTUB. ACADEMICI RECTORE, ET FACULTATIS PHILOSOPHICÆ h. t. DECANO.

DEFENDENT PUBLICE

MAGISTERII PHILOSOPHICI CANDIDATI,

OHANNES JACOBUS ERBE, Tubingenſis.

OHANNES FRIDERICUS REINMANN, Tubingenſis.

CHRISTIANUS THEOPHILUS GMELIN, Tubingenſis,

ILLUSTRIS SEMINARII DUCALIS ALUMNI.

AD D. H. L. C. Anno MDCCXXXVII.

TUBINGÆ, Litteris ROEBELIANIS.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE



CONSPECTUS CONTENTORUM DISSERTATIONIS DE AUREO VELLERE.

SECTIO I.

Continet, poſt Prooemium de Hiſtoria Aurei Velleris, Generalia quædam, & de Principiis metallorum, eorumque mercurificatione.

SECTIO II.

De Salibus metallicis, Cinnabari, Usu Hydrostatices in hac materia, Tincturis vel animabus metallorum, nec non Albificationibus & Rubificationibus.

SECTIO III.

De Productione artificiali Ferri & Sulphuris, de Vegetatione metallorum, Experimenta Hombergiana, aliaque, argumenta pro poſſibilitate transmutationis ſubminiſtrantia, cum reſponſione ad dubia.

DISSER-

DISSERTATIO ACADEMICA

DE AUREO VELLERE,

SEU DE POSSIBILITATE TRANSMUTATIONIS METALLORUM.

SECTIO I.

Continens, poſt Prooemium de Hiſtoria Aurei Velleris, Generalia quædam, & de Principiis Metallorum, eorumque mercurificatione.

PROOEMIUM.

UT ab initio rationem inſcriptionis DE VELLERE AUREO reddamus, neminem opinor latere, quæ circumfertur, hiſtoriam, aut ſi mavis fabulam, quâ *Phryxus* Thebanus, fatis actus, arieti, cujus *vellus aureo fulgore* ſplendebat, inſidens, mare tranaſſe, Colchidem, Aſiæ regionem, cui hodie Micreliæ nomen, perveniſſe, ibidem ariete in honorem Jovis & Martis immolato, aſtrisque illato, *pellem auriferam* in templo ſuſpendiſſe dicitur. *Vellus* hoc rarum, quod alii librum de Artis auriferæ artificio ſcriptum interpretantur, à plurimis fruſtra expetitum fuiſſe, quod portæ templi draconibus ignivomis, quos *Martialis*

Martialis Tauros Ignipedes vocat, custodiebantur. *Jasonem* vero Thessaliæ Regis filium, Magiæ studiosum ardentissimum, tempore *Gedeonis* circa annum mundi 2727. nave *Argo* appellata cum sociis Heroico animo præditis, plusquam quinquaginta numero (inter quos Hercules, Castor, Pollux, Admetus, Theseus, Orpheus, insignes artifices, nominantur) hujus impetrandi velleris caussa, iter Colchicum suscepiss, cumque illuc venisset, denegatum ab Æete, regionis Rege, templi domino, *Vellus Aureum*, ope filiæ Regiæ, à Jasone peramatæ, *Medeæ*, quæ ipsum dracones ignivomos sopiendi artem docuit, secum & Vellus & Medeam Barbaris ablatam patriæ suæ attulisse.

Fabula jam docet, ut brevissime nos expediamus; *Jasonem* à Colchis, Ægyptiorum sapientum propagine, didicisse artes istas arcanas, inter quas metallorum minerarumque tractatio artificialis, ut hominum commodo inserviant, emicuit. Ajunt enim, cum Plutarcho, in Colchide venas rivosque auriferos plures fuisse, Colchosque aureas atomos aquis dispersas pellibus ovium collegisse, ut humiditate omni defluente splendentes

auri

auri miculæ lanæ implicitæ manerent. Unde nomen *Velleris Aurei* explicari poſſe non hæſitamus. *Dracones* autem *ignivomi* difficultatem operandi in igne, materiamque ſubigendi ſatis innuunt; eosque proprie ita vocari experieris, ſi juxta *Philalethæ Cap. VII. Introitus ad occluſum Regis Palatium*, doctrinam, ſumas draconis ignei, qui in ventre ſuo Chalybem occultat magicum, partes quatuor, Magnetis noſtri partes novem, perque Vulcanum torridum miſceas &c. Periculum iſtud & difficultas ſuperari non poteſt, neque à ſummo Imperante aditus ulli conceditur, niſi progeniei unicæ *Medeæ*, hoc eſt, *Sapientiæ*, Artiumque omnium Magiſtræ, ope perficiatur, ut ſenſum fabulæ omnem ſic planiſſime patere arbitremur. Neque ulli dubitamus, feliciſſimum iſtum Burgundiæ Ducem *Philippum Bonum*, jure vocatum, hanc ejus interpretationem animo volviſſe, quum principem iſtum *ordinem Aurei Velleris* inſtitueret, iis quidem temporibus, quibus plura egregia inventa Germaniæ, & præcipue Typographia, orbi innotuerunt. Id quod vel ſola, quam geſtant ordinis hujus ſummi Equites, aurea demonſtrat catena, cujus articuli

repræſentant *Chalybem*, qualis ad ignem eliciendum adhibetur, *cum lapide vel ſilicibus*, e quibus flamma promicat, cum ſymbolo: *Ante ferit quam flamma micat*, iisque in fine pendulæ adduntur exuviæ agni, ſeu *Vellus* iſtud *Aureum*, cum inſcriptione: *Pretium non vile laborum*. quo ipſo ſymbolo philoſophico impetu animati operam non luſuros nos ſperamus, ſi *Diſſertatione Academica* excutere conemur igniculos quosdam, qui *Vellus* nobis *aureum*, hoc eſt materiam ſeu argumentum de *Poſſibilitate mutationis & meliorationis metallorum* colluſtrent. Faxit æterna ſapientia FELICITER!

§. 1.

POſſibilitatem *transmutationis metallicæ* demonſtraturis opus eſt, ut ante omnia inanes lites, quæ circa varias vocum acceptiones magnis plerumque animorum motibus agitari ſolent, præſcindantur. Id quod facile præſtabitur, ſi more Mathematicorum, qui demonſtrationibus ſuis definitiones præmittunt, ab initio explicetur, quid ſub nomine transmutationis, & quidem metallicæ, heic intelligendum veniat. Prætermiſſis quæ de poſſibilitate ex Metaphyſicis diſputari queunt. Metallorum in vulgus quidem notorum definitio mox §. 5. dabitur.

§. 2.

§. 2.

Dicimus ergo, nos per *artificium transmutationis metallorum* intelligere omnes iſtas artes, quacunque ratione fiant, quæ metallum, ſive mineram lapidemve metallicum quemcunque ita immutare vel alterare docent, ut vel totum, vel quoad partem, etiam exiguam, aliud ſive nobilius ſive ignobilius factum eſſe, per uſitata & publice recepta examina cognoſcatur. Exempli gratia, ſi quis ex plumbo aliquid argenti, ex ferro cuprum, aut vice verſa quocunque modo efficiat vel producat. Sive iſta operatio, qua tale quid peragitur, appellari debeat: Purificatio, Subtiliatio, Eductio, Inductio, Maturatio, Fixatio, Animatio, Augmentatio, Unitio, Ablatio, Adpoſitio, Transpoſitio, Compoſitio, Decompoſitio, Inverſio, Colliquatio, Emollitio, Rarefactio, Condenſatio, Concentratio, Vivificatio, Mercurificatio, Congregatio, Diſgregatio, Accretio, Aſſimilatio, Exaltatio, Fermentatio, Cementatio, Fuſio, Separatio, Tincturatio, ſive quocunque alio nomine venire poſſit; idque vel longo tempore vel brevi, unâ pluribusve operationibus, nullis vel aliquo, vel multis adhibitis mediis, in Igne vel extrà Ignem, via humida vel ſiccâ, vel utcunque efficiatur, ſive id quod producitur vel actu ſecundo vel ſaltim potentiâ in altero latuiſſe, aut per transpoſitionem particularum, aut accidentium, aut formæ ſubſtantialis immutationem al-

terationemve, aut ſpiritu quodam vel eſſentia penetrante, aut tinctura particulari aut univerſali, aut altiori aſtrali, immò divina, virtute productum, compoſitum, effectum, eſſe dicatur.

§. 3.

Ut jam definitæ ita *transmutationis metallicæ* poſſibilitatem demonſtremus, duplex nobis patet *via*, altera *Genetica*, altera *Analytica*, ſeu, quæ procedit argumentis, uti vulgo loquuntur, à priori, aut à poſteriori deſumtis, cui & viam *Auctoritatis* adjungere non omnino diſplicebit.

§. 4.

De Demonſtratione in genere hoc etiam annotare non abs re erit; Illam apud Philoſophos duplici ratione admitti. Alterâ, qua in ſummo rigore theorema, vel id quod proponitur, adverſario ita demonſtratur, ut ſe convictum fateri cogatur de veritate & certitudine dictorum ſine ulla exceptione; quales ſunt eæ demonſtrationes, quæ in *Mathematis* puris ſolum fere locum habent. Altera, qua in *Philoſophicis* plerisque utimur, & contenti ſumus, ſi rationi ſanæ convenire, vel ſaltim non repugnare dicta videmus, & de cetero juſta connexione unum ex altero conſequi obſervamus, quales forte pleræque ſunt in vulgus receptæ ſententiæ & opiniones hominum, maxime eæ, quæ ſummum probabilitatis gradum adeptæ ſunt. Nobis igitur & hoc demonſtrationis genere uti licebit, ubi prius non ſuccurret.

Nobis

§. 5.

Initium autem merito facimus à *Definitione Metalli.* Hoc in Compendio noſtro deſcripſimus olim per corpus ex particulis viſcoſis aquæ mercurialis cum Salino-Sulphureis & terreis purioribus fixis ope motoris & caloris ſubterranei in ſubſtantiam vel maſſam compactam duram, ponderoſam, ductilem, malleabilem & igne in fluorem liquabilem, varii ponderis & coloris digeſtum, in terra copioſis lapideis, terreis, ſulphureis aliisque materiis mineralibus immixtum, raroque ſuum.

§. 6.

Quid de hac definitione habendum ſit, ex ſequentibus ulterius patebit. Eâ interim ſatis diſtingui metallum ab omni alia re liquet. Illud etiam vix quemquam latet apud antiquiores philoſophos, & in Schola Peripateticorum, *Principia Metallorum* interna, formale & materiale, *Sulphur* & *mercurium* dicta fuiſſe, communiterque hanc receptam opinionem, omnia metallica corpora ex his duobus vel purioribus vel impurioribus ſub varia proportione & digeſtione locique terræ ratione coaluiſſe.

§. 7.

Quemadmodum autem recentiores principiis Chriſtiſtianorum *Paulinis* imbuti generatim, non tantum hominem, ſed quoque quæcunque alia compoſita eſſe, ex *corpore*, *anima*, & *ſpiritu*, ſtatuerunt; ita quam maxime hanc doctrinam ad metallorum mixtionem applicu-

ere *Basilius Valentinus* & *Theophrastus Paracelsus* & plures alii, illorumque principia proximiora, *Sal*, *Sulphur*, & *Mercurium*, haud quidem in sensu vulgari, sed philosophico accepta, tradiderunt, duobus extremis medium quoddam interserentes.

§. 8.

Nemo autem arbitretur, Philosophos per *Mercurium* intellexisse vulgare illud argentum vivum, currens, manus non madefaciens, in metallifodinis raro destillans in forma liquida repertum, frequentius autem è mineralibus & lapidibus terrisve nonnullis præcipue cinnabarinis excoctum. Neque per *Sulphur* commune illud ex acido & pingui concretum minerale inflammabile, sive *nativum* stillatitium terræ succum pinguiorem quasi resinosum, sive *factitium* è pyrite aliisque mineralibus vi ignis destillandum aut sublimandum colore flavo. Neque per *Sal* aut commune esculentum ex aquis fontanis vel marinis excoctum, aut solidum fossile sub nomine salis gemmæ è fodinis Polonicis, Catalonicis, aliisque excisum, aut Nitrum, alumen, Vitriolum &c. sub principiorum vel generalium vel metallicorum nomine eos innuere voluisse, sapientes plerique monuerunt, & nos quoque in Compendio supra allegato clare docuimus.

§. 9.

Dederunt enim hæc Mixta vulgaria saltim occasionem Philosophis sua principia sensibus haud per se obvia ita determi-

terminandi, cum & in unoquoque horum bona pars istius principii, cujus fert nomen, deprehendatur. Ita illud, quod *consistentiam* vel hypostasin *corpoream* mixto cuicunque & metallico largitur, *Sal* vocarunt, maxime quod & Spiritus invisibilis universi quando incorporatur sensibusque obvius redditur, non nisi sub forma Salina compareat. Et quia *Sulphur* inflammabile est, oleosum, colorem caloremque concilians, instar *Animæ* balsamicæ, hanc quasi formam substantialem & tincturam illius nomine appellare non dubitarunt. Pariter, quod *Mercurium* vulgi liquidum esse, in Igne avolare totum observarunt, ejus naturam volatilem congruere optimè appellationi *spiritus* seu substantiæ homogeneæ volatilioris humidæ arbitrati sunt, adeoque humidum radicale, quemadmodum sulphureum principium calidum innatum, vocarunt.

§. 10.

Ut autem hic philosophicorum principiorum ternarius paulo abstractior, chimicorum & metallurgorum sensibus facilius se insinuare posset, fecit admirabile illud ingenium *Beccheri* Spirensis, qui *tres terras* finxit, Sali, Sulphuri & Mercurio, immo & tribus elementis, in quibus vivunt animalia, Aristotelicis, Terræ, Aëri & Aquæ egregiè correspondentes. *Terram* nimirum 1.) *Stipticam vitrescibilem* salinum principium seu elementum terræ

terræ innuentem. 2.) terram *unctuoſam* inflammabilem ſulphuris äerisque locum occupantem. 3.) terram humidam *liquabilem* arſenicalem, Mercurii & aquæ vices explentem.

§. 11.

Hæc ita generatim dicta, ut ſpecialius metallorum generationi adplicaret, neque ſine fundamento aut præter experientiam dicta eſſe demonſtraret, *Beccherus*, nos in metalli-fodinas deducit, ubi offenduntur 1.) quarß 2.) beſtieg, pech. 3.) arſenicaliſche ſchwaden ꝛc. quæ tria ſpecialiſſima metallorum principia eſſe ſcribit: Scilicet 1.) Corpus, Sal, cineres, indicare Quarß, Fluß, Kiſel. 2.) Animam, Sulphur, carbonem præbere id, quod foſſores vocant Moder, beſtieg, pech. 3.) Spiritus, Mercurius, fuligo, ipſi eſt arſenicaliſcher, Sulphuriſcher Schwaden und dampf.

Ita certe matrices metallorum & mineralium eſſe ſilices aut lapides ſilicales, argillam, limum, & quæ vitreſcibilia deprehenduntur, palam eſt. Hanc vero materiam permeari & quaſi perfundi oleogineitatibus & φλογιςοις, iisque aut accedere, aut inde oriri vapores fumosque mercuriales arſenicales ſulphureos &c. in omnibus fodinis aut montanis, ubi metalla & mineralia vel coagmentantur vel effloreſcunt, obſervare licet.

§. 12.

§. 12.

In egregia illa Dissertatione Epistolica ad *Boyleum* ulterius explicatur, quod neque Mercurius communis, neque Sulphur, aut Sal commune, tanquam corpora mortua ad metallorum generationem faciant. Sed, id quod in mineris metallificat, ipsamque illorum essentiam hypostaticam, quæ lapides penetrat, esse subtilem *terram* sulphureo-mercurialem, id est proprie *arsenicalem*, in forma vaporis juncta subtili terra *sulphuris*, per quod neque commune illud inflammabile intelligitur, sed aliqua terra pinguis specifica sui generis. ex. gr. in auro terra subtilis flava, in argento terra alba splendens, in cupro rubra, in ferro, stanno & plumbo fusca, livida, quam *sulphur* metallorum vocant, quod etiam in multis subjectis non metallicis, terris, lapidibus, imo in plantis & animalibus, forte deprehenditur. Quæ ratio fuit *Kunkelio*, locutionibus philosophorum minus assueto, principium sulphureum exterminandi, nihilque præter salem & mercurium in metallorum crasin admittendi.

§. 13.

Quoniam vero omnes, quæ in philosophia de Elementis & principiis moventur disputationes, admodum inanes reputamus: nemini litem intendere cupimus, sive ternarium, sive binarium principiorum metallicorum statuat.

Parum enim per ejusmodi lites proficimus. Neque *Analysis Metallorum* per varia media, corrodentia, resolventia, &c. instituta rem decidere potest. Nondum quippe liquet, an ea, quæ vel per ignem, vel per mineralia, vel alia agentia salina, sulphurea, & in via sicca aut liquida producuntur, ab initio fuerint principia componentia istius metalli, ex quo habentur, nisi ea juncta exacte illud metallum rursus conficiant, quod in paucis admodum arti concessum est. Nobis igitur ad præsens institutum sufficiet, si *unam* metallis omnibus communem naturam seu *substantiam mercurialem* fixam competere dicamus; nimirum *ponderosam*, *malleabilem*, *fusibilem*, in igne permanentem, omnesque eas proprietates sibi habentem, quibus metalla in vulgus nota ab aliis rebus distinguuntur, cujus existentiam nemo negabit.

§. 14.

Hæc igitur substantia in se purissima per omnes metallorum & mineralium species diffusa, forsan & in vegetabilibus, animalibus, meteoris &c. suo modo reperibilis, insignes patitur *differentias*, quæ tamen ipsi huic substantiæ, per artem puritati suæ restituendæ, sunt *accidentales*; adeoque non impossibile censeatur philosophis, eam ita purgare, ut *auri physici* nomen mereatur. Unde intelligi potest, quid velint philosophi, uno ore clamantes, nostrum

aurum

aurum esse vivum vivificum, nec aurum vulgi & monetariorum, quod a mundi tyranno vita privatum mortuum vocant, huic æquivalere.

§. 15.

Utrum *Aristoteles* hoc ipsum per *materiam* metallorum *primam* intellexerit? dispiciant illi, qui ejus auctoritate abusi metallorum transmutationem absolute negant. Ita enim ille ait: unum metallum in aliud transmutari non posse, nisi prius reducatur in primam materiam. Quæstio ergo eo redit, num metalla possint reduci ad communem omnibus materiam? qua affirmata, prout ingens philosophorum numerus unanimi ore testatur, prono inde fluit alveo, metalla eum in statum puritatis fixitatisque reducta inter se transmutari, aut si mavis, ex omnibus illam substantiam puram separatis differentiis haberi, additisque rursus aliis rebus vel perfici, vel minus pura aliterve qualificata reddi posse.

§. 16.

Quemadmodum autem Natura ipsa in globi nostri terraquei penetralibus per varios vapores, terris diversi generis se insinuantes, metallicas substantias generat, multiplicique ratione iterum destruit permutatque; ita quoque Artem supra terram duplici potissimum modo transmutare

poſſe metalla, ingenioſe tradit *Beccherus in Suppl. Phyſ. ſubt. c. VI.*

Methodo nempe *apheretica* & *proſthetica*, particulari & univerſali: Apheretica quidem dicitur, & particularis, cum de mixtis metallicis pars quædam, ſive terrea, ſive aquea (Salina vel Mercurialis) ſeparatur; cujus abſtractione remanens mixtum in temperamento eſſentialiter mutatur. Aſt quoniam ob fortem metallorum mixtionem (inquit *Beccher*) difficillime aliquid ab eorum principiis ſeparari poteſt; Methodus proſthetica non practicabilior modo ſed & univerſalior eſt, addendi nempe metallicis mixtis vel terram, vel aquam metallicam convenientem, cujus additione totum mixtum in temperamento radicaliter alteratur. Nos vero arbitramur, dari adhuc *tertium* transmutationis *modum* generalem, à ſola *partium figura ſituque variato*, dum vel arctius cöeunt, vel aliter combinantur & figurantur, absque ulla extraneæ materiæ acceſſione, dependentem. Id quod vel ſolo motu trituque fieri poſſe experientia loquitur.

§. 17.

Hanc vero dictam communem eſſentiam ſeu ὕλαν metallicam, ſive in forma ſicca ſive liquida obtineatur, nonnulli quoque vocant mercurium, & quidem ſuum, ut à vulgari probe diſtinguant. Sed neque deſunt, qui *ex omni*

metallo,

metallo, & haud paucis etiam mineralibus *argentum vivum* ſeu mercurium dictum in currenti vel liquida forma producere docent, vel cum, vel ſine additione vulgaris argenti vivi. Id verò, quacunque via, vel apheretica, vel prosthetica ſive per ſalia tantum reſuſcitativa in metallis obtineatur, ſive ope amalgamationis cum mercurio vulgari, viam tamen oſtendit, qua metalla intime miſceri, inque minimis penetrari, hoc eſt, inter ſe transmutari queant, haud ſecus ac aqua aquæ permixta ſuam facile qualitatem communicat.

§. 18.

Noſtris temporibus in Saxonia prodiit tractatus *de mercurio corporum olei vitrioli beneficio* facile parando, cujus auctorem vel editorem conſtat fuiſſe *Neidholdum*, qui hoc artificium à *Kunkelio* didiciſſe fertur. Ipſe *Neidholdus* nobis ſcripſit, ab invidis hominibus libelli iſtius exemplaria cuncta cöemta, & hominum commercio ſubducta, ſeque per literas monitum fuiſſe, ne amplius illud ſcriptum divulget, cum nihilominus ſua in opinione fallatur. Id quod & ipſe *Kunkelius* in Laboratorio ſuo, capite de Vitriolo, tandem agnovit, cum antea firmiter crederet, mercurium, ope olei vitrioli lunam ſolventis productum, eſſe *Mercurium Lunæ*, nondum gnarus, quod oleum verum vitrioli nil aliud ſit, quam mercurius liquidus, qui per addi-

 tas

tas calces metallicas suo superfluo humido privari, & ex salina substantia sublimata revificari potest. Interim ibidem scribit p. 181. Ich will aber dieses durch ein gewises experiment auf meine Ehre versichern, daß dieser mercurius ex luna, oder cum luna & oleo Vitrioli gemacht, so edel in seiner qualitæt ist, als der aus der luna durch andere salien gemacht wird. Hoc experimentum, quod *Kunkelius* reticuit, discipulus ejus *Neidhold* prodidit, in præfatione libri sui ita scribens: Ich probirte meinen erlangten Mercurium also, daß ich ihne mit feinem Silber amalgamirte, und per retortam in ein vorgelegtes Wasser wieder davon destillirte, da dann allemal, und wann ich auch ein Pfund fein Silber nach und nach mit diesen 5 quentgen (quas ex olei Vitrioli unciis duabus se acquisivisse scribit) mercurii amalgamirt hatte, alles nach abstraction des Mercurii ohne desselben allergeringsten Abgang am Gewicht und Tugend, als das schönste Ducaten-Gold in der retorten ligen blieb, und ob solche Farb schon nicht auf der Capell im Bley bestunde; so lasse mir einer doch diß von disem Mercurio ein Wunder der Natur seyn: denn Trotz dem, der mir also disputiret, daß solches nicht ein von Natur goldischer Mercurius vortreflicher, als der aus dem gemeinen Golde selbsten, weil selbiger dergleichen nicht thut: wie ich dann auch endlich erlernte das Silber mit dem blossen Oleo oder Spiritu, woraus

diser

diser Mercurius gemacht wird, in kurtzer Zeit und weniger Mühe auf dergleichen Art durchaus zu tingiren, da sonst seine Kraft verkupfert zu machen geachtet wird; quæ omnia non quidem veram transmutationem argenti in aurum probare, ad demonstrandam verò possibilitatem transmutationis in genere haud parum facere videntur.

§. 19.

Hinc bonam partem dependent *Fixationes* adeo decantatæ istius Majæ filii, omnium Alchymistarum illusoris, de quo dialogus Alchymistæ ipsum conjurantis in appendice Novi luminis Chemici lepidus habetur. Ejus quippe vix alia dabitur vera fixatio, si lapidem excipiamus, quàm ea, quæ mediante mercurio, vel sale corporum instituitur; qualis ea est, quæ in Processibus Saxonicis sub nomine *Mineræ Perpetuæ* Doctoris Puti describitur. Sed artificium mercurificationis corporum Solis & Lunæ non adeo facile deprehendent curiosi, ac putatur, & processus in vulgus editi id promittunt; qui quidem omnes ope salis tartari & ammoniaci totum negotium absolvi scribunt. Ejusmodi labore se possessorem mercurii lunæ factum esse Viennæ celeberrimus *Beccherus* scribit, similemque processum *Carolo XI.* Regi Sueciæ dedit *Kunkelius*, eique persuasit, rem esse adeo facilem, ut filia Kunkeliana mercurium ex luna vel 50 vicibus destillare scive-

rit,

rit, ſed varia tentamina admodum exiguam quantitatem dedere, & vix poſſibilitatem demonſtravere. *Lucas Oſiander*, noſtras & Tubingæ quondam Cancellarius, ob peritiam ſuam in Chemicis magnâ gratia Ducis Friderici gaviſus, gloriatus fuit, ſe per octiduum mercurium ſolis producere poſſe; eodem fundamento ſalis tartari & ammoniaci proceſſus ipſius nititur. Sed vix milleſimo tentanti ejusmodi proceſſus ſuccedunt feliciter. quæ cauſſa fuit, cur *Rolſincius* & *Wedelius*, in arte chymica celeberrimi, mercurios corporum inter non-entia Chymica poſuerunt, quibus tamen *Beccherus* in ſupplementis Phyſ. Subterr. ſatisfeciſſe videtur. Ad minimum poſſibilitatem uno vel altero mercurii grano, per varia tentamina producto, ipſimet ſine omni jactantia aſſerere poſſumus, prout quoque *Kunkel* contentus eſſe debuit, ſi charta, qua collum retortæ purgavit, aureum deargentare potuit.

§. 20.

Inſigne autem eſt elogium, quod ejusmodi mercurio largitur *Kunkelius*, in ſuo laboratorio p. 733. inquiens: quantum de mercurio metallorum (vel etiam vulgi) in lunam ingreditur, tantum auri particulariter lucraberis ſecundum meam experientiam. Monet idem, ſibi cognitum eſſe *experimentum*, quo mercurius vulgi una die æſtiva eo queat elevari, ut cum luna liquatus granum haud exi-

guum

guum (ein ʒimmlich Korn.) auri largiatur, eſſeque admiratione dignum, quod, ſi ante cupellationem in aqua forti ſeparatio fiat, ad fundum præcipitetur pulvis rubicundus qui neque aurum neque argentum dici poſſit. Si vero granum iſtud cum luna ſaturno examinandum propinatum fuerit, & dein ſeparatum, verum fieri aurum. Experimentum quidem ipſum reticet *Kunkelius* cum invidioſa excuſatione quod non dormienti ſibi innotuerit, puto autem illud induſtrio Chemico facile ſuis floribus perſici elegantiſſimis ſe inſinuaturum eſſe, ſi te fata vocant, prout idem oculis meis delectabili aſpectu ſponte ſeſe obtulit. Addit tamen; ex Chriſtiana charitate omnibus particulariter aurum quærentibus ſe dicere, fruſtraneum fore omnem eorum conatum niſi per partem metallorum mercurialem id quærant, mercurium quippe nihil in metallis efficere præter aurum, & licet ipſe ſaltim fiat argentum, id tamen quod ex ipſo in metalla ingreditur, fieri aurum.

FINIS
SECTIONIS I.

DISSERTATIO

DE AUREO VELLERE.

SECTIO II.

De Salibus Metallicis, Cinnabari, Usu Hydrostatices in hac materia, Tincturis vel animabus metallorum, nec non Albificationibus & Rubificationibus.

§. 1.

QUia vero tanta difficultas negotium mercurificationis corporum premit, æque fere raræ sunt Mineræ perpetuæ horum beneficio instituendæ, atque ipse lapis Philos. & magnum opus. Quare nonnulli opinantes mercurio vulgi ad consistentiam corporis perfecti acquirendam, centesimam saltim partem salismetallici necessariam esse, maluerunt metalla in statum Salis aqua solubilis redigere, juxta illud: *Sal Metallorum est lapis Philosophorum.* Quanquam & hoc vix rite fieri possit nisi prius abacto mercurio. Hoc in labore totus fuit *Atremontius* Gallus, prout olim celeberrimo & in his sacris exercitatissimo Professori Hafniensi *Olao Borrichio* fassus est, quemque peculiari scripto, cui nomen dedit *Tombeau de la pauvreté*, prolixius explicuit; simulque docuit qua ratione ista Salia cum mercurio vulgi in curren-

currentem mercurium vivificari poſſint, & quomodo cum ſalibus perfectorum projectio fieri queat in metalla imperfecta.

Hollandus ſalia metallorum ope reverberii parare docet, idemque *Kunkelius* in laboratorio ſuo p. 734. repetit, expreſſis verbis ponens: Sal metallorum, quod mercurium in lunam mutet, citra reverberium non obtineri, interim metallorum imperfectorum ſalia quoque mercurium in lunam mutare, licet non eadem quantitate atque ſalia perfectorum. Nihilominus idem *Kunkelius* Regi Sueciæ *Carolo XI.*, qui ipſum ea propter ad dignitatem Baronum evexit, alium proceſſum ex MStis Saxonicis obtulit, qui citra reverberium, ſola extractione cum aceto deſtillato ex calce lunæ facta, ſal lunare docet, ſub cujus finem addit; ſe juxta ejus præſcriptum ſæpius cum fructu laboraſſe, mercuriumque in lunam mutaſſe.

§. 2.

Ex pluribus hodie cognitis methodis metalla in naturam ſalinam redigendi fas non erit præterire *amalgamationes* illas & *triturationes*, quibus uſi ſunt *Johannes* & *Lucas Oſiandri* noſtrates, *Fernelius* & *Claveus* Galli, *Ol. Borrichius* Danus, aliique. *Borrichii* quidem artificium ita deſtruendi aurum atque argentum legitur *in tractat. de Hermet. & Ægyptior. Sapientia contra Conringium*, quod & didicimus ex peculiari epiſtola ipſius beati viri

manu propria ſcripta, quam hoc epiphonemate claudit: Si verum eſt illud philoſophorum, facilius eſſe aurum conſtruere, quam deſtruere, ego difficiliora didiciſſem, faciliora hactenus ignoro. Oſiandrina verò Experimenta *Reſchius* heic loci publicavit, quorum labor occaſione *Fernelianorum* tentaminum (quemadmodum & *Borrichii*) eo redit; ut ope mercurii affuſi, iterumque evocati & rurſus affuſi, trituratione vel digeſtione leni facta, in pulverem atrum leviuſculum irreducibilem metalla comminuantur, ex quo vel aquæ vel aceti ſtillatii ope Sal extrahitur uſui medico quoque non inutilis. Qua occaſione incidenter ſaltim notare licet invidiam philoſophorum, qui mercurium ita lavare ab omni nigredine docent, ſicque imperitis illudunt, licet intelligentibus operatio utilis fieri queat.

§. 3.

Fuerunt hæc opera *Particularia* ſive *Rami* ex magna arbore Solari & Lunari pendentes. Ita enim aperte Adeptus Auguſto magnum opus per cryſtallos ex Sole, Luna & Mercurio, ope aquarum fortium & Spiritus Vini paratas declaravit, ſimulque docuit cum ſalibus lunæ & mercurii ad ſtatum oleaginoſum fixatis particulariter operari ad transmutanda metalla reliqua in lunam, ita quidem ut etiam aurum ipſum, quod mireris, ſi ei fuſo hæc lunaris tinctura ſuperinjiciatur, in argentum mutetur. Welches auch ein Wunder ſo uns armen Sündern von GOtt offenbahret

bahret ist, ut habent verba Adepti Augusti I. Saxonis, qui propriis manibus cum hac tinctura ex Salibus solis, lunæ & mercurii in lapidem rubeum fixatis projectionem fecisse dicitur, quæ omnia jam publicis typis evulgata leguntur, quanquam Adeptus sub finem hæc verba addiderit: Es seye der Befehl GOttes daß seine Churfürstliche Gnaden es nicht in Hände eines Gottlosen kommen lasse, da es ihme GOtt verzeihen wolle daß ers offenbahret hätte, doch GOtt der ein Beschützer aller Dinge ist, der kan alles recht machen und bewahren. Didicit Adeptus has operationes cum Salibus metallicis, & processus plures inter Saxonicos prostantes, ex Manuscripto secreto, quod in Italia sibi acquisivit, hodie pariter evulgato, ut non præter rem monetæ cuidam aureæ Principis in his sacris expertissimi inscripta legantur hæc verba: *Occulta patebunt.*

§. 4.

Sunt quidem nonnulli qui de ejusmodi operationibus parum faventer judicant, quare Dominus Baro *Schröder* eas inter fraudes Alchymisticas numerat, & nomine *Tincturæ Stultorum* (die Narren-Tinctur) insignit, addito tamen hoc monito: lectoris judicio se relinquere an forte ex hac stultitia aliquid discere possit. Huic verò Dominus Baro *Kunkel à Lövvenstern* in *Laborator. p.303.* respondet; eos quidem stultos esse qui, quando hac ratione

mercurium coagularunt, argentum ex mercurio tinctum esse credunt, eos verò stolidiores longe reputari, qui has operationes sine ulteriori indagatione contemnunt. Electorem *Augustum* gloriosæ memoriæ post descriptionem hujus laboris addidisse: **Hierinnen stecken** miracula, **die vorhero nicht erfahren, darum dancke GOtt und sündige nicht mehr.**

§. 5.

Utrum hîc memorare liceat, quod ego his operationibus analogum aliquando observavi, equidem ignoro; quicquid sit, bona fide recensebo. Solvi aliquando lunam in aqua forti peculiari, quæ cum ultra dimidium saturata esset, in mensa per noctem autumnalem relicta, dimisit ad fundum crystallos & frustilla lamellata splendore glaciem Mariæ referentia, mane sequenti jucundum neque expectatum phænomenon cernens decantavi aquam, non dubitans esse istas lamellas partem lunæ meæ quam reducere volebam, sed qui mecum erat amicus effecit ut vitrum ad lenem calorem ponerem, ratus crystallos in oleosam substantiam abituras fore, sed opinio hæc, quam quidem non credebam, falsa fuit, nam induruerunt lamellæ crystallinæ post aliquot dies & spiritus aquæ fortis, qui cum iis manserant, ad superiora vitri rubentium specie vaporum sensim avolarunt, lamellis itaque in pulverem reda-

ctis

ctis affudi acetum ſtillatititium, quo ſtatim ſolvebantur ut nihil in fundo reſidui manſerit, quanquam per noctem flores albicantes præcipitati fuerint; altero autem mane flores nulli amplius infra conſpiciebantur, ſed loco eorum in medio liquoris ſuſpenſæ hærebant feces inſtar telæ aranearum pulvere conſperſæ haud paucæ, filtravi ergo acetum ut relictis fecibus purum redderetur, poſitâ in menſâ patella per noctem rurſus præcipitabatur materia albicans calcoſa, ejusdem fere quantitatis ac lamellæ ab initio fuerunt, quæ in calore cum aceto ſolvi recuſavit ſed ad fundum vitri immutata manſit; quare adhuc aliquoties filtrando per chartam bibulam acetum ab omni fece alba & nigra purgavi, eique curioſitatis gratia immiſi premendo per corium guttulas aliquot mercurii, quæ in momento amiſſa volubili figura ſphærica diſci-formem quaſi compreſſæ induebant, & per noctem exhalante reliquo aceti in pulverem gryſeum exiccatæ, ad ignem fuſæ grana decem argenti fini dederunt.

§. 6.

Non male huc referri poſſunt *Chartæ luſoriæ* ita dictae *Kunkelio*, ſeu operationes jucundae cum cryſtallis & ſolutionibus metallorum quae amplius lapillari nolunt, de quibus ait quod inibi ſingulare quid lateat. Solvit nimirum in ſpiritu Nitri mercurium, quae fiunt in frigore cryſtallos ſegregat, & reliquam ſolutionem pariter ſervat,

idem

idem facit cum ſolutionibus reliquorum metallorum, dein confundit ex uno, verbi gratia argento, ſolutionem in lapillos non abeuntem cum cryſtallis mercurii, vel vice verſa, ut inſtar chartarum luſoriarum, prout lubet, miſceri poſſint eleganti ſpectaculo, promittitque unumquemque his operationibus tantum experturum eſſe, ut de transmutatione mercurii in argentum & aurum dubitare nequeat. *Kunkelium* jucundas has operationes, utut diſſimularit, è Manuſcriptis Electoralibus Saxonicis didiciſſe, aliunde certiores redditi ſumus.

§. 7.

Qui proceſſibus *Saliſicationis metallorum* accenſent, in vulgus jam notum illum *Monte-Snyderianum*, nihil praeter rem agere videntur. Regulum enim metallicum quemcunque, ex. gr. ſolarem, deſtruunt per flumen, aut ſi mavis fulmen, *Theophraſti Paracelſi*, quod *Verbenas adole pingues* appellavit, hodie notiſſimum, exindeque Sal & Sulphur extrahunt, quae poſtea, prout quilibet peritior eſt, ad uſum adplicant. Ipſe enim *Snyderus*, dum vixit, varias hinc inde praxes ſparſit, eaque dedit quibusvis deſiderantibus ſpecimina transmutationis, vel ſaltim meliorationis metallorum, quorum partem mentionem fecimus in *Vindiciis noſtris Alchymiæ* p. 148. quae plane ſunt egregia, & licet paucos imitatores repererit, quia & multum auri & manus exercitata ad proceſſum feliciter

abſol-

abſolvendum requiruntur, vera tamen eſſe, quæ iſto nomine circumferuntur, pleraque ex privatis literis intelleximus, ſi quidem ullum fidei hiſtoricæ pretium ſtatui queat. Neque moramur quæ iratus in eum, quem non intellexit, evomere ſcommata non dubitavit *Kunkelius*, qui hunc *Monte-Snyderum* impoſtorem, ſtultumque ignorantem vocat, eumque ajunt in Xenodochio Moguntinenſi pauperem mortuum, nepotem autem fuiſſe *Levini Lemnii* Medici Heidelbergenſis celebris, a quo tincturam hereditario jure acceperit. Tractatus *Monte-Snyderi* ſub tit. *Metamorphoſis Planetarum* & *Medicinæ Univerſalis* publice proſtant, lingua vernacula ſcripti, & quidem poſterior cum doctis aphoriſmis *Berlichianis*, qui idem latinè verſus annectitur operi Splendido, quod *Reconditorium* ac *Recluſorium Opulentiæ Sapientiæque* inſcribitur cum præfixo hoc Charactere Adeptorum: *In cruce ſub Sphæra venit ſapientia vera.* utrum ea conveniant cum dictis Adepti apud *Helvetium* judicent peritiores, ad minimum conſideratione dignum eſt, eo ipſo anno, ſub cujus finem illa hiſtoria contigit, editum fuiſſe iſtud opus Amſtelodami, ſua in fronte gerens, quod illo 1666. anno, Idibus Maji, concluſum, ſancitum, & decretum ſit, ut eodem per Myſteriarcham Mercurium perſpicacioribus ingeniis veritas innoteſceret. De ejusmodi *Sale Solari enixo*, via quidem diverſa parato, in *Clave Manuſcriptorum Saxo-*

nicorum leguntur hæc verba : **Also erlanget ihr warlich eine** Tinctur **auff kurtzem Wege, die dem uhralten** lapidi philosophorum **im meisten gleich ist und unendliche Kräfften hat.**

§. 8.

Sunt verò *plures* aliæ *viæ parandi Salia* metallorum, vel eorum *vitriola*, de quibus passim leguntur processus, quos qui volet experiri potest. iis nunc recensendis supersedemus. Est & novissimus quidam Auctor Anonymus, qui *Margaritham coram porcis* projecisse ratus, doctis omnino thesibus asserit, ex propria experientia se nosse Sal Lunæ mercurio vulgi colliquatum, eundem convertere in lunam, & vicissim mercurium metallicum colliquatum Lunæ toto suo pondere converti in Solem. An cum, an sine lucro, illi se patefacturum esse scribit, cui tetigerit aures.

§. 9.

Qua vero ratione metalla in statum Salium, vel saltim subtiliorem, virtute quadam penetrativa aut activa gaudentem redacta, alia sibi homogenea ejusdemque naturæ pariter reddere possint, nemo clarius exposuit, quam mirabile illud *Beccheri* ingenium, qui *Suppl. II. in Phys. subt. th. IV. §. 55.* experimento rem omnem reddit manifestam, quod nimirum aurum vel argentum subtiliatum intime

in

in metalla penetrare, eaque penetrando alterare & transmutare queant. Exemplum, inquit, nobis esto argentum, quod cum cupro liquefactum illud minime transmutat, sed habet se ut juxta positum mortuum, hinc immutatis viribus & actu separabile à cupro. Verum solve idem argentum in aqua forti, præcipita cum sale comm. vel ejus spiritu, præcipitatum edulcora, invenies argentum fusile, volatile & summe penetrativum, hoc misce anatico vel duplo pondere cinerum stanni, vel limaturæ ferri, pone in globum cupreum ex duobus hemisphæriis constantem, reple infimum hemisphærium, luta juncturas, da ignem modicum ut candendo ruffescat globus, non tamen fluat: relinque aliquot horis sic in igne, tunc frigefactum globum aperi, quod in fundo, liquefac fluxu reductivo, invenies tuum pondus impositi argenti: Sed superius hemisphærium cupreum invenies spiritu hujus volatilis argenti sic penetratum, ut magna ex parte in proba verum & bonum argentum exhibeat. Cujus transmutationis cupri in argentum nulla alia ratio assignari potest, quam per Sal accepit, sine quo nihil operaretur, ut constat. Antequam ulterius progrediamur in *Becchero*, tacere non possumus, hoc ipsum experimentum in Actis Academiæ Regiæ Parisiensis anno 1722. inter imposturas Alchymistarum à Dno *Geofroy* recenseri. Effectum quidem à *Becchero* intimatum non negat, hoc est, quod pars quæ-

dam ſuperioris hemiſphærii fiat argentea, rem verò ita explicat, ut ſalia dicat corroſiſſe ſecumque in auras abſtuliſſe particulas cupri, earumque in locum poſuiſſe particulas argenti elevati. Verum ſi ita ſe res habeat, mentitum eſſe oportet *Beccherum* qui diſertis verbis ait, poſt reductionem calcis lunae quae in fundo manſit, priſtinum argenti pondus reperiri. Utri credendum ſit? experientia manifeſtare debet; quicquid autem fuerit, vis tandem penetrativa Lunae corneae exinde pateſcere poteſt.

§. 10.

Pergit autem l. c. *Beccherus* in hac materiâ inquiens: Solvatur argentum in aqua forti vel ſpiritu Nitri, abſtrahatur ſolutio lento calore ad conſiſtentiam Salis, quod poſtea ſolvatur aliquoties ſpiritu aceti, ſemper abſtrahendo & reſolvendo: tandem cum Spiritu Vini ſic procedatur, ultimo in Spiritu Vini relinquatur Sal argenti ſine abſtractione. Hic Spiritus Vini ſine ulla corroſione aut violentia inſtillatus argento vivo communi, quaſi in momento illud figit, ac in argentum transmutat. Et ne credas non plus reperiri argenti, quam in Spiritu Vini fuit, certe proba bene inſtituta & pondere probe examinato, invenies ultra pondus argenti, notabilem quantitatem argenti vivi in argentum mutatam eſſe, eique accreviſſe. cujus transmutationis ratio ſoli penetrantiæ argenti adſcribenda

benda eſt. Idem contingit in auro, quod ſi in aqua regia ſolvas, addasque mercurium, abſtrahendo liquorem ad ſalis conſiſtentiam, eamque in Spiritu aceti reſolvendo, filtrando, purgando, & denuo inſpiſſando ad conſiſtentiam, quæ ceræ inſtar fluet, ac quodvis argentum etiam in talerorum craſſitie in aurum transmutabit, modo candeſcat citra fuſionem, idque cum augmento auri: quæ experimenta ideo tantum adduco, ut aperte clareat, aurum vel argentum non alterare, nec transmutare metalla, quamdiu in ſtatu ſoliditatis ſunt; verum cumprimum ſubtiliantur ut penetrare poſſint, illa ſtatim juxta gradum ſuæ penetrantiæ in metalla agere, eaque alterare & transmutare. Et hæc eſt ratio actionum omnium ſubtilium aquarum, quas gradatorias vulgo vocant. addit tandem: clarere ita poteſtatem ſubtiliationis, & ſi natura extra viam rectam nihilominus *poſſibilitatem* monſtret, quid non factura erit, ſi in via debita labores.

§. II.

Si tibi aqua fortis, qualem veteres philoſophi ſpiritibus mineralibus conſervatis deſtillarunt, ad manus eſt, qua Luna ſolvi queat, eadem vero ſaturata injectas lamellas amplius haud diſcerpat, poſitis vero omnibus ad lenem calorem, vel nulla vel exigua admodum actio obſervetur, poſt aliquot tamen horas lamellæ integræ nigreſcant co-

lore ſatis ſplendido, ſcias veram interceſſiſſe transmutationem argenti præparati in aurum; quod ſi enim nigricantes iſtas lamellas ſuo loco exemtas, vulgari aquæ forti vel quoque priſtinæ non ſaturatæ injicias, id quod aureitatem non acquiſivit tranſibit in aquam, aurea vero ſubſtantia atomorum nigricantium ſpecie ſubſidebit, quæ ſolius Vulcani ope pellem æthiopicam exuent, & aurum pulcerrimum oculis tuis ſiſtent. id quod ex propria experientia affirmare poſſum.

§. 12.

Quia paulo ante de fixationibus mercurii per Salia Metallica ſermonem fecimus, præterire non licet methodum qua utitur ipſe terræ archeus in producenda *Cinnabari nativa*, ſimilibusque lapidibus mercurio prægnantibus. Manifeſtum enim eſt Vapores iſtos mercuriales a ſale acido ſulphuris, ita ut fumus fumum amplectatur, coagulari in concretum rubeum Cinnabaris nomine notum, quod ex imitatione artificum modernorum patet, qui ſimile per omnia concretum, *Cinnabaris factitiæ* nomine venale, ex Sulphuris una parte cum aliquot argenti vivi in fluxu admixti facili opera componunt, illamque nativam mineram ſeu cinnabarim, additis rebus quæ acidum Sal facilius imbibunt, deſtillatione in mercurium vivum & Sulphur, vulgaria, æque facile reſolvunt. Neque deſunt Auctores qui utramque hanc *Cinnabarim*, ſive mercurium per acidum

dum Sal Sulphureum in corpus fragile figi cœptum, omnino fixari poſſe tradunt in corpus lunare metallicum malleabile in Saturno conſtans multoque auro ſcatens. Praxes iſtæ in vulgus cognitæ ſunt, variisque libellis Alchymiſticis vernacula quoque editis deſcriptæ, quarum fundamentum peculiari experimento Baro *Schröder* oſtendit, quodque in noſtris Alchymiæ vindiciis deſcripſimus & quantum ei fidendum ſit monuimus. Interim ejusmodi *fixationes Cinnabaris* magna quantitate alicubi inſtitutas nec ſine lucro peractas fuiſſe ex ſcriptis didicimus.

§. 13.

Curioſitatis gratia proceſſum dabimus ex MSto de *fixanda Cinnabari* olim in aula Electorali inſtitutum, neque hactenus quantum conſtat publicatum : Fit autem Cinnabaris ex Sulphure & Mercurio præparatis bonamque partem fixis, quæ dein ſub ſale fuſibili per aliquot dies digerendo ita fixa redditur ut in balneo Saturni argentum vel aurum additum in quavis ſelibra unciis quatuor, hoc eſt, dimidio augeatur. Præparatio mercurii ad hoc opus ita ſe habet : Solvuntur in aqua forti Mercurii Sublimati p. iiij. & Lunæ p. j. ſeparatim, poſt 24. horarum digeſtionem confunduntur ſolutiones, quæ iterum abſtracto fluido omni exiccantur in maſſam rubentem. Sulphur autem ſublimetur cum calceviva & bulliat in urina, hinc exiccatum ſublimetur denuo cum limatura martis. Conjun-

gantur

gantur poſt hoc Sulphur ſublimatum & Mercurius præparatus liquando in placentam unam, prout vulgo Cinnabaris coquitur, cui in partes oblongas clavorum inſtar diviſæ ſuperadditur Sal per iteratas ſolutiones & coagulationes fuſibile ceræ inſtar redditum, & aliquot dies graduali igni omnia committuntur, abſolutaque fixatione tantum inde eximitur quantum placet & per Saturnum in cineritio purgatur. Laborem hunc equidem propriis manibus non ſubjeci, videtur autem nec ineptus nec admodum difficilis, ſi ſaltim tempus impendere queas quo Sal in eum fluxilitatis ſtatum redigatur ut leni digeſtionis calore inſtar ceræ vel olei, prout requiritur, *fluat*, de quo varii proceſſus hinc inde leguntur.

§. 14.

Admiratione & profundiori ſcrutinio dignum mihi ſemper viſum fuit illud εὕρηκα *Archimedis*, ſeu inventum *hydroſtaticum* quo fraudem aurifabri in corona regia commiſſam absque igne detexit. Occaſione ergo Collegiorum Experimentalis Philoſophiæ, quam per annos 36. Studioſis explicui, veritatem quoque principiorum hydroſtaticorum in metallis deprehendi, facileque obſervavi duplum auri requiri ad explendum ſpatium quod occupat argentum, hoc eſt, ſi vaſculum quoddam repleatur uncia una argenti, duabus auri unciis opus eſſe ad idem exacte complendum, per conſequens denſitatem auri & argenti

ſe

ſe habere in ratione reciproca ſpatiorum, unde per principia hydroſtatica ulterius argumentatus fui; metallum ex auro & argento puris conflatum eo minus perdere ex pondere ſuo in aqua, quo plus auri in maſſa fuerit; Semuncia enim auri per vulgata experimenta amittit in aqua ſaltim grana tredecim cum una tertia ponderis quod in aëre libravit; argentum vero ejusdem in aëre ponderis amittit in aqua grana 24. Varia igitur experimenta Chemica tentavi, quibus lunam ſolent reddere compactam, ut ad auri pondus propius accedat, vix dubitans eo naturæ auri, aut duntaxat reſpectu hujus proprietatis, ſororem fratri ſuo, Dianam Phœbo fieri ſimiliorem, quo ponderoſior reddatur, ſpatiumque minus occupet; adeoque ſi argentum finum, auro omni deſtitutum, quod antea in aqua amiſit grana 24. poſt præparationem Chimicam tantum ſcrupulum unum perdat, jam aliquam ſui partem ad auri naturam accommodaſſe. Equidem non dubito fore plerosque qui hoc ratiocinium exſibilare & infirmum pronunciare velint, dicere enim poſſunt, nonne plumbum minus in aqua perdit quàm argentum? qua ratione ergo aſſeri poteſt Lunam ponderoſiorem redditam magis inclinare ad naturam auri quàm ad illam plumbi? quod argumentum ſpeciem habet, quodque jam dudum ipſe mihi, nemine ſane monente, objeci. Interim reſpondeo, mihi perinde eſſe ſive ad Saturni ſubſtantiam puram, ſive ad illam auri, lunam ita

 præpa-

præparatam magis inclinare dicas, quoniam vel ſic evincam transmutationem, utut non lucroſam, quod Philoſopho ſufficit. Id quidem verum eſt ſic facile committi poſſe fallaciam, ſi quis argento illiquaret plumbum, ſed fraus iſta mox deprehendetur vulgatis examinibus docimaſticis, neque tum metuenda eſt quando propriis manibus cum luna per Saturnum & Nitrum repurgata quis operatus fuerit. Neque ulterius falli nos putamus, quando argentum puriſſimum ad denſitatem auri indeque derivandas proprietates hujus metalli perfectiſſimi redactum ſolo colore ab hoc differre credamus, quo conſtanter eidem conciliato totum in aurum tranſeat.

§. 15.

Peculiari quondam ratione credidi, ad minimum ad medicinam, non inutilem eſſe animarum extractionem, modo ea ita inſtituatur ut partes impuræ heterogeneæ terreæ ſegregentur, meque in ea opinione confirmarunt *Helmontius* & *Polemannus*, tradentes; Sulphuribus correctis omnem morborum cohortem auſcultare. Et licet praxis iſta non per omnia probetur, potui tamen uſum in Medicina horum Sulphurum aliquem admittere, ſi quidem ad Medicamentum in corpus humanum aſſumendum non requiritur ut illud ſit fixum in igne permanens. Verùm ad transmutationem metallorum illa multum valere perſuaderi

deri vix potui, quoniam experientia me docuit fixationem requisitam, aut nunquam, aut longo admodum eoque indefinito tempore, succedere, neque metallum quodcunque aureo colore tinctum statim fieri aurum.

§. 16.

Confirmavit has cogitationes posteriores *Arcanum Hermeticæ Philosophiæ Opus*, in quo §. XXXI. &c. sequentia leguntur verba: Circa artem extrahendæ ab auro tincturæ tota philosophantium plebs insudat & graviter torquetur; credunt enim illi tincturam à Sole separari, & separatam virtute augeri posse, verum spes tandem agricolas vanis eludit aristis. Neque enim fieri potest, ut tinctura solaris à corpore suo naturali omnino separetur; nullum quippe à natura conflatum corpus elementare auro perfectius dari potest, cujus perfectio à forti & inseparabili sulphuris puri & tingentis unione cum mercurio procedit, utroque ad id per naturam optime præparato, quorum veram separationem arti Natura denegat: Quod si quid liquoris permanentis per violentiam ignis aut aquarum à sole extrahatur, liquefacti aut per vim soluti corporis portio, non tincturæ separatio habenda est. Tinctura enim corpus suum sequitur, & ab eo neutiquam separatur. Ea est artis illusio ipsis artificibus incognita. Verum tincturam à corpore suo separabilem esse concedatur, non tamen citra corporis & tincturæ corruptionem separari

 posse

posse fatendum est, cum per ignem fusionis Naturæ destructorem, aut per aquas fortes rodentes magis quam solventes vim artistæ illi inferant, corpus itaque tincturâ & *aureo* suo *vellere* spoliatum penitus vilescere & tanquam pondus inutile in damnum artifici suo verti, corruptamque tincturam minus operari necesse est. Tincturam tandem illi suam in mercurium, aut in quodvis aliud corpus imperfectum injiciant, spe tamen sua dupliciter cadent, primo quod supra naturæ vires & pondus tinctura nec penetrabit nec tinget, quapropter nihil lucri inde cedet quo resarciantur impensæ & corporis spoliati abjectique jactura, sic cum labor in damno est crescit mortalis egestas. Denique extorris illa tinctura corpori extraneo applicata perfectam fixationem & permanentiam non dabit, ita ut examen forte patiatur, & Saturno exploratori resistat. Pedem igitur illico referant, tempori & sumtibus parcant artis Chemicæ Studiosi hujusmodi circulatorum & impostorum hactenus fidem sequuti, & ad opus vere philosophicum animum convertant, ne sero sapiant Phryges & tandem cum Propheta exclamare cogantur: comederunt alieni robur meum.

§. 17.

Verum enim vero manifesto in errore heic versari *Espagnetum* patet, quando putat corpus auri album sua tinctura spoliatum inutile & abjiciendum esse, quod tamen

men artifices haud difficulter colori ſuo reſtituunt. Immò *Baſilius Valentinus* ad majores uſus aptum ita reddi tradit. Majorem parit difficultatem ipſa extractio, quia rara ſunt menſtrua quæ non ſimul ſolvant totum corpus, & per experientiam didicimus plerosque heic falli, quando putant aurum relinqui album, dum illa menſtrua Salina ejusmodi albore quaſi mercuriali aut calce metallum obducunt, colori ſuo facile reſtituendum. Id vero pariter nos experientia docuit dari menſtrua quæ leniter aurum ſolvunt, ſi per aliquod temporis ſpatium ſimul digerantur, cum per ea ſaltim extractio fiat coloris intenſioris, ſi breviori ſpatio inibi relinquantur lamellæ aureæ poſtea paulo pallidiores conſpiciundæ. Neque etiam omne Sulphur extractum ſtatim virtutem mutandi vel tingendi alia non præparata corpora poſſidet. Hujus tamen operationis veritatem comprobant alii Autores fide digni, quos inter eminet *Beccherus* in Centro Mundi Concatenato p. 89. ita ſcribens: Retulit mihi Dominus *Boyleus*, Vir fide digniſſimus, ſe noſcere nobilem quendam Anglum ruri habitantem, qui alias de facultatibus paternis parum habebat, & proinde tenuiter vivebat, jam vero laute. interrogatus à Domino *Boyleo* unde media ſuggeſſiſſet? Libere reſpondit & faſſus eſt, ſe unicum Particulare habere cujus reditibus viveret, interrogatus quodnam eſſet? reſpondit, *Baſilium Valentinum* ejus mentionem facere, nempe ſe

extrahere ex auro flavedinem, & illam projicere ſupra argentum, ſic argentum tingi in aurum, aurum vero album, unde flavedo ſive tinctura extracta eſt, recuperare illam ope ſpiritus nitri, vel per fuſionem cum antimonio, vel per tractationem cum Venere. Cumque Dn. *Boyleus* ulterius interrogaret, quodnam eſſet illud menſtruum vel ſolvens quo tincturam auri extraheret? regeſſit, quare Dn. *Boyleus* interrogaret cum tamen illud ipſum in ſcriptis ſuis haberet. Uterque adhuc in vivis eſt, & Dn. Boyleus & Nobilis ille. Inquit *Beccherus.*

§. 18.

Præter teſtimonium *Beccheri* & *Boylei* addo, quæ habet Medicus Cæſarienſis *Johannes Zwelferus*, Vir minime vanus, inque Chymia omni peritiſſimus. Ipſe autem in *Mantiſſa Spagyrica* P. I. c. 1. aſſerit: quod per Mechanicam compertum ſit, *Tincturam* auri (aliis *anima, Sulphur* ſeu *quinta eſſentia* dicta) ſeparari poſſe à corpore mercuriali, lunæ ſpeciem referente ejusque proprietates ex integro æmulante. Plura videri poſſunt l. c. Neque deſunt qui Particularia reliqua, uti vocantur, extra fontem Univerſalem rejiciunt cuncta, excepto hoc unico cum Sulphure Solari, quorum in numero allegare licet *Sendivogium*, & recentiorem quendam R. qui ſibi nomen de *Monte Raphaim* dare voluit, inprimis autem *Erbinæum à Brandau*.

Brandau, qui ſimul hujus Sulphuris Solaris multiplicationem docet, quam in rem egregie diſſerit *Beccherus* in Concord. Chym. P. I. p. 99. ubi ſequentia leguntur. Sollen derohalben dahin trachten, daß ſie aus dem Gold oder Silber eine animam oder Tinctur (non ſufficit ſolus color qui nihil tingit) extrahiren können, welche andre imperfecte metallen widerum tingiren und transmutiren, wanns gleich nicht mehr als das Corpus auri vel argenti geweſen, woraus dieſes Pulver oder Tinctur extrahirt iſt. Wann ſie dann dergleichen haben und der transmutation verſichert ſeynd, müſſen ſie trachten diſe animam zu multipliciren und in ihrer Krafft zu erhöhen, welches nicht geſchehen muß durch Zuſatz etwas Goldes oder animæ, nämlich juxta poſitionem, ſondern es muß geſchehen per alterationem, durch reinigung ſubtilirung und Erhöhung, nicht anderſt als wie die Cochinelli, die gibt auff gemeine weiſe eine rothe Farb, welche zum höchſten roth färbet und in zimmlicher quantitæt; wann aber diſe rothe Farb mit Aqua Forti oder Spiritu urinæ angemacht wird, ſo thut ſie ſich dergeſtalt erhöhen und in ihrer Tinctur ausbreiten daß ſie viel 1000mal mehr als zuvor färben kan; ſolche Erhöhung nun kommt nicht her daß man in ſubſtantia mehr Cochinelli dazu thut, ſondern daß die tingirende qualitæt durch den ſubtilen Geiſt deß Aquæ Fortis oder Urins erhöhet und ausgetheilet wird. Eben alſo auch muß eine metalli-

metallische Tinctur durch einen subtilen Mercurialischen Geist in ihrer Qualitæt dergestalt erhöhet werden, daß zwar das vorige Gewicht der substantz bleibet, die Guldische tingirende Krafft aber viel 1000mal multiplicirt werde.

§. 19.

Hujus in rei fidem ulteriorem ejusque possibilitatem ex principiis *Claudii Berigardi*, Philosophi Paduani, demonstraturus *Beccherus* l. c. ait: Constare metalla, sicut etiam alia corpora, ex diversa variorum corpusculorum sive atomorum textura, pro cujus varietate totum etiam mixtum variat & differt. Supponit itaque *Berigardus*, in omni metallo esse quandam texturam corpusculorum auri texturæ conciliabilem, si, quæ ei contraria & heterogenea sunt, demantur, &, quæ in homogeneis deficiunt, suppleantur, & addantur, & hanc duplicem facultatem separantem & supplentem pulveri isti inesse ait, quem Tincturam vocant. Quæ tinctura ideo quantitate extensiva (ex. gr. una pars mille partes) alterat, quoniam ad variandam corpusculorum texturam vel minima pars sufficit; quod in Antimonio & stanno videmus, quorum minima pars etiam malleabilissimis metallis commixta friabilia reddit. Proinde Autor noster argumentatur a contrario, posse nempe dari medicinam, quæ vel volatilia reddat fixa,

vel

vel friabilia faciat ductilia, vel alba tingat flava; cum constet flavedinem auri tantum esse supertexturam paucorum corpusculorum a reliqua textura separabilium. Vide experimentum Dn. *Boylei* in tr. de origine formarum & qualitatum, titulo de modo transmutandi aurum in argentum. Idem in cupro cernitur, cujus color ruber supertextura tantum est, quæ abstrahi potest, ut album reddatur corpus, quod *Ludovicus de Comitibus* in metallurgia sua tit. de Cupro metallum anonymum vocat, quod ipsum paucum ante tempus heic in Anglia (inquit *Beccher*) cum Dn. Principe Ruperto feci; similis textura sive decompositio est in stanno, unde stridet, & paucis corpusculis abstractis, dulce est & non stridet, admittitque cupellationem; meritò ergo concludere possumus, metalla in præcipuis suis accidentibus, nempe colore, sono, malleabilitate, ignis subsistentia, pondere, alterari posse, sive demendo, sive addendo quædam corpuscula, quæ necessaria sunt. Hactenus *Beccherus*.

§. 20.

Quoniam hoc in loco *Beccher* mentionem fecit experimenti Boyleani de transmutatione auri in argentum, non abs re erit illud totum verbis illustrissimi Auctoris in gratiam eorum qui ejus opera forte ad manus non habent, huc transferre. Ita autem ipse l. c. experimentum VII. describit: Menstruo, uti vocat, peracuto

„præparato, accepimus auri melioris notæ aliquantum, „quod cum cupro ipsi ter quatérve præponderante ad fu-„sionis statum denuo reduximus, isto autem metallo usi „sumus potius quam argento ad depurandum usitatius „adhibito, ne suspicioni locus esset, argenti aliquid post „separationem factam in auri amplexibus etiamnum hæ-„sisse : porro mixturam hanc aquæforti seu spiritui Nitri „ingessimus, ut cupro penitus dissoluto aurum sub forma „pulveris purissimi in fundo maneret, quippe aurum hac „operatione, mediante sc. aqua forti, methodo, quæ ad-„huc in usu est, optimâ depuratur &c. Dein aurum hoc „summe depuratum & debito ignis gradu nativo suo splen-„dore denuo inductum quantitati satis amplæ menstrui „peracuti indidimus, (solemus etiam aliquando spiritum „salis ad solutionem promovendam adjicere) in quo sen-„sim & sine tumultu solutio ejus perficitur. Comperimus „demum in fundo vasis pulverem quendam albicantem à „menstruo prorsus intactum, quemque pariter (si probe „memini) aqua insuper regia indissolutum reliquit. Au-„rum hoc, cum solutione avocata, in corpus denuo com-„pactum, secunda vice dissolveretur, albi aliquantum, li-„cet haud ita copiose ut prius ad fundum dimisit, & post-„quam aliqua ejus quantitas nobis suppeteret, adhibitâ „borace aliove corpore fusionem promovente, in metal-„lum facile colliquabatur, quod argenti instar albedinem „induebat, malleo etiam (ne dicam pressuræ minori) cessit, & in

„& in aqua forti seu spiritu Nitri solutum amaritudine illi-
„co productâ, conjecturam nostram abunde confirmavit,
„quod sc. argentum purum putum evaserat.

Hactenus *Boyleus*, qui utrum mutationem auri in argentum sic satis demonstraverit, aliis judicetur. Nobis interim videtur per hoc experimentum probari mutationem quandam insignem in his metallis peractam fuisse, & neque auri multoque minus reliquorum metallorum compagem nimis strictam esse, quam ut artis auxilio immutari unquam possit, adeoque hoc ipsum mereri ut argumenti loco pro transmutationis possibilitate in genere allegetur. Putat de cetero *Boyleus* posse quoque colorem auri à textura dependere, uti in cinnabari ex mercurio albo & sulphure flavo color ruber, qui iterum additis alcalibus (addo & olei Vitrioli ope, si formam solidam desideres) separatur, liberato mercurio albo, ita menstruum peracutum posse compagem auri solvere & texturam pristinam immutando novam simul producere, cui albedo aliæque qualitates argento affines debeantur.

§. 21.

Cum porro *Beccherus* loco adducto mentionem injecerit *mutationis cupri* in *metallum* anonymum *album*, atque ars illa hodie in officinis quoque monetariis sit cognita, eam sicco pede præterire non possumus. Et quan-

quam pariter cuprum hac in vulgus nota methodo, quæ ſpiritus iſtius mineralis venenoſi dicti arſenici ope communiter fieri ſolet, in argentum, quod Saturni examen ſuſtineat, non mutetur, negari tamen nequit egregiam ita fieri mutationem, quæ forte plus in receſſu habet quam vulgo cognitum eſt. Incidit rurſus dum hæc ſcribo in memoriam diſtichon, quod ab initio fere laborum meorum Chimicorum occaſione operationis cujusdam compoſui, ita ſe habens:

Nudatam Venerem nitidæ conjunge Dianæ,
Det Soli veſtem Mercurius Veneris.

Benivoli lectoris judicio relinquo an ulteriori ſpeculatione haud indignum reputetur.

§. 22.

Varii quidem ſunt *modi Venerem dealbandi*, etiam absque arſenico, quod eorum in gratiam ſcribere lubet qui ab arſenici veneno non injuſto metu abhorrent, interim ſi prudenter res inſtituatur nihil inde metuendum eſt. Proceſſus quidem plures in vulgus noti ſunt. Ex Manuſcriptis *Chortolaſſeanis* nondum publicatum ſequentem habemus. Stratificetur Venus in balneo purgata pulvere ex Arſenico quoad maximam partem, Nitro, Tartaro, bolo & creta compoſito, in crucibulo fluat, effuſaque iterum addito arſenico & pulveribus dictis liquetur, ut miro albore conſpicua ex hoc balneo prodeat,

eamque

eamque Diana ſociam ſibi ſimilem non reſpuat. Quæ porro agenda ſint, ut albedo vel conſtans maneat vel ope ſalium reſtituatur, vulgaribus etiam aurifabris cognitum eſt, ut plura ſcribere ſuperfluum foret. Hoc ſaltim addimus, inter omnes arſenicales proceſſus eos nobis præ reliquis probari, qui ſpiritum hunc è minera ſublimant fixantque, vel antequam operi adhibeant, vel in ipſo opere.

§. 23.

Poſſe autem hujus arſenici ope *Argentum tincturale* reddi, ut majori cum lucro nuda Venus ei jungatur, non tantum ex *Hollando* diſcimus, verum id ipſum etiam cum mercurio fieri ex *Sommeri* hiſtoria patet, quam Baro *Schröder* tradit. Fuit quidem hic *Sommerus* aurifaber Belga Viennæ in carcere aliquamdiu detentus, cujus artificium ita refertur: Coagulatam aceto, Sale, & viridi æris, libram unam mercurii preſſit per corium ut unciæ ſex ſuperfluæ tranſirent, coagulatis reliquis decem unciis addidit medicinæ arſenicalis drachmas ſex cum oleo & viridi æris cementando in crucibulo clauſo per horam mediam; poſtmodum remoto operculo igne fuſionis aucto & injecto cupro granulato liquando per dimidiæ horæ ſpatium effudit uncias ſex cum dimidia, argenti octo lothonum ad lapidem lydium, è quibus in cupella manſerunt lunæ finiſſimæ propemodum quatuor unciæ auri inſtar molliſſimæ. Medi-

cina ſub dio ob venenum arſenici ſedecim horis parabatur, quibus arſenicum fixum reddi debuit, potuitque unus homo ejus intra hoc temporis ſpatium libras XXV. valido igne in lapidem ſeu rubrum fixum vitrum excoquere. Quæ omnia *Baro Schröder* propriis manibus ſe exploraſſe ſcribit, licet integrum per omnia parandi medicinam artificium *Sommerus*, ex ſiniſtra relatione Imperatori reddita dimiſſus, nemini revelarit.

§. 24.

Quemadmodum cupri mutatio in metallum anonymum argenti æmulum, colore ex fuſco in album converſo, veram aliquam immutationem forte ulterius extendendam ſatis demonſtrat; ita non minus argumentum nectitur pro poſſibilitate transmutationis metallicæ ex alio pariter jam in vulgus noto artificio, quo idem metallum, ope Cadmiæ vel Zinci, colorem flavum auri æmulum, nomenque *Orichalci* & *metalli Principis Ruperti* acquirit. Et quemadmodum illud Album non verum eſt argentum ita nec hoc Rubeum vocatum verum redditur aurum, qui enim hoc pro auro haberet, *Glauci* arma aurea pro æreis cum *Diomede* permutantis vices acturus eſſet, cujus ſtultitiam *Martialis* cecinit ſcribens:

> Tam Stupidus nunquam nec tu, puto, *Glauce* fuiſti,
> χρύσεα donanti χάλκεα qui dederas.

Neque

Neque tamen minus utile hodie cognitum eſt, quam illud, hoc artificium, quo ipſo jam præterito ſeculo Norimbergæ mercator quidam *Lochnerus* dictus ingentes ſibi divitias collegit, dum ad ſtatum malleabilitatis & ductilitatis auri redigeret pulcerrimum hoc metallum. Qua ratione orichalcum paretur ex cupro in *Aula ſubterranea Erckeri* cum omnibus circumſtantiis legitur, ubi notatu dignum eſt; poſt fuſionem cupri cum cadmia majus pondus reddi quam cupri & cadmiæ ante fuſionem fuit, ita ut (quemadmodum *Praxis metallica Curioſa à Kelnero* edita p. m. 242. docet) ſi ex. gr. ad libras 55. cupri addantur libræ 15. cadmiæ, adhuc 21. ad 24. libras pondus orichalci auctum deprehendatur. *Franciſcus Mercurius van Helmont in Paradoxali diſcurſu* ſtatuit metalla, præſertim aurum & argentum, conſtare ex Sulphure albo pauco rubro intermixto, ſeu quod idem eſt ex arſenico communi albo volatiliore, & paulo fixiore cui rubrum intertextum ſit, quale ſpeautrum appellant, quod cupro additum ei colorem aureum multo elegantiorem reddat quàm Cadmia ad orichalcum parandum adhibita.

DISSER-

DISSERTATIO
DE AUREO VELLERE.
SECTIO III.
De Productione artificiali Ferri & Sulphuris, de Vegetatione Metallorum, Experimenta Hombergiana, aliaque, argumenta pro possibilitate transmutationis subministrantia, cum responsione ad dubia.

§. I.

Rudis in hac materia videri possem si *Experimentum Beccherianum in producendo ferro* tacerem quod ipse celeberrimus Auctor in Suppl. Phys. Subt. c. I. p. m. 584. sequentibus verbis describit: Inter cete„ra oleorum reductionem in terram valde quæsivi. Pro„inde inter varias enchireses, limum communem unde „lateres coquuntur & furni parantur, ad äerem siccatum, „ut cribrari posset, oleo lini ita perfudi, ut globuli inde for„mari potuerint pro capacitate retortæ colli, magnitudi„ne, idque eum infinem ne facta destillatione ob exem„ptionem capitis mortui retorta frangenda foret, sed usui „alii servari, deinde ut ignis potentia parvos illos globu„los vehementius quam si una essent massa, penetrare „posset, replevi ergo ejusmodi globulis retortam & per „gradus ex aperto igne destillavi, augendo sub finem ignem

fortiter

„fortiter per horam unam vel alteram; finita destillatione „simile fere oleum in vase recipiente offendi quam illud „est quod improprie oleum philosophorum vocant, ex „frigefacta retorta globulos exemi, qui quoniam in satis „forti igne non rubificabantur, sed valde nigrescebant, su- „spicatus sum illam nigredinem ab oleo proficisci, cujus „quædam partes terreæ virtute limi fixatæ & sequestratæ „ibidem corpus assumsissent, quod quale id fuerit, experi- „mentandum erat: contusos itaque atque cribratos hos „nigros globulos in patinam posui & superfusa aquâ com- „muni movi, turbidum per inclinationem gradatim effudi, „limpidam novam denuo addidi semper materiam mo- „vendo, hoc tamdiu feci donec effusa aqua clare decur- „reret atque in fundo patinæ grave nigrum sedimentum „maneret, quod ex gravitate & subitanea subsidentia, nec „non nigredine in aqua, metallicæ & quidem ferreæ na- „turæ esset, non sine gaudio suspicatus sum, siccatum ita- „que ad chartam posui adhibito intra spem & metum ma- „gnete, qui a me hinc & inde in materia agitatus pulvis- „culum ferreum, sed non multum una vice extraxit, re- „petii ergo & extractum pulvisculum tandem juxta pro- „portionem copiosum collegi, quem in omnibus probis „optimum ferrum esse deprehendi.

§. 2.

Hactenus verba *Beccheri*, qui & ipse sequenti c. 3. quænam sit vera caussa metallifica & ferrifica hujus artifici-

alis geneſeos eleganter demonſtrat, nimirum ſolam mercurii & Sulphuris conjunctionem, quorum partes hic oleum & limus ſuſtinuerint, neque in alterutro horum deprehendi metallum. Utut hæc vere & philoſophice à *Becchero* dicta ſint, multæ tamen ſuper hoc experimento exortæ ſunt diſputationes, magnaque pars in omni limo, ſed & in lino, ceterisque plantis, ad minimum incineratis, actuales jam adeſſe metalli particulas diſperſas ſtatuit, ita ut etiam *Dn. Geofroy* crediderit impoſſibile eſſe cineres facere ex herbis ut ſimul ferrum non facias ope magnetis in iſtis detegendum, quare non dubitavit anno hujus ſeculi quinto d. IX. Decembris Academiæ ſcientiarum Pariſienſi hoc *Problema Chimicum* proponere: *Trouver des Cendres qui ne contiennent aucunes parcelles de fer?* *Dn. Lemery* demonſtravit anno ſequenti etiam in ipſo Melle, tanquam ſubtiliſſimo è floribus plantarum per apes collecto ſucco, eſſe particulas ferri, & *Lemery* filius idem de Caſtoreo, ſubjecto è regno animali deſumto, incinerato aſſeruit. *Lemery* defendit contra *Geofroy* aliosque particulas ferri ſubtiliſſimas per radices terræ inſitas aſſurgere, actuque in herbis adeſſe ante incinerationem, interque alia, argumenti loco, adjunctis duabus figuris æri inciſis elegantiſſimis, adducit Vegetationem vel Arborificationem ferri in Spiritu Nitri ſoluti cui inſtillatur oleum tartari per deliquium (id quod & in vitriolo Martiali

per

per excreſcentiam purgato obſervari poteſt) quâ ratione videtur ipſa quoque Natura producere albos iſtos flores ferri coralliorum alborum inſtar ſe exhibentes. Epicriſin ſuper has lites doctam dedit ingenioſiſſimus *Dn. Henkelius* in *Pyritologia* p. 689.

§. 3.

Ajes vero ita non probari transmutationem metallorum qualem deſiderant homines, viliorum nempe in pretioſiora, aurum & argentum. Huic objectioni jam obviam itum eſt in *Vindiciis Alchymiæ* p. 349. ubi ex *Glaubero* dictum fuit certo modo tractatum ferrum & cuprum, ſemper aurum & argentum largiri. Notum etiam eſt vetus dicterium; qui non laborat in Venere & Marte, eſt ſtultus in Arte; & Germanicum proverbium: Wer da kennt Eiſen und Kupferſchlack, der kan füllen Beutel und Sack. quod latino verſu expreſſit *Beccherus* in Minera Arenaria p. 909. Qui Martis nec non Veneris ſcorias ſcit & uſum,

Divitias magnas absque labore paret.

Ne dicam de uſu philoſophico magis æſtimando quam aurum & argentum, quod hujus experimenti ductu & penitiore conſideratione forſan in metallorum naturam abſtruſiſſimam penetrare, eamque eruere queamus, exindeque ſcire quid ſingulis deſit vel proſit.

§. 4.

Priſtinis olim temporibus inter arcana lucroſa habebatur *Transmutatio ferri in Chalybem* h. e. ea ferri depu-

ratio qua majorem duritiem acquirit. Chalybem, qualem etiam Naturam alicubi producere narrant, quique ob eam caussam Maris nomine *Paracelso* venire, quemadmodum mollius ferrum Fœminæ nomen habere dicitur. In Stiria optimum parari ajunt ad gladios & Chirurgica instrumenta exin fabricanda aptissimum. Fabri ferrarii & serrarii idem in parva quantitate ad usum quotidianum efficere conantur iterata ferri candefacti extinctione in succis quibusdam herbarum, vel liquatione cum carbonibus e lignis durioribus, vel admotione ungulæ bubulæ, equinæ, vel cementatione & stratificatione cum Vrina, Sale, fuligine, argillæ involutum valide urendo ut interiores partes arctius coëant, nucleumque quasi seu chalybem constituant. *Chalybem in magna quantitate* parandi gratia peculiari furno fornicato suisque scamnis lateritiis distincto, opus, igne per biduum continuato, absolvebant Domini *Priores* Francofurtenses hac in Arte celebres, quo collocabant ollas bipedales altitudine, sed diametro 6. pollicum, pulvere ex carbonibus faginis, ungulis bubulis & sale debita proportione mixto repletas, quibus inseruntur baculi ferrei, qui suo tempore exemti bis igniuntur & frigida extinguuntur, malleoque tandem subjiciuntur, quo facto Chalybem habebis desideratum ad omnia aptum. Quemadmodum autem his laboribus ferrum *durius* redditur, ut limæ similiaque instrumenta ferrum ipsum dividentia

dentia parari queant; ita *mollius* idem fieri poteſt, vel cum Sale ammoniaco, tartaro, ſulphure, vel excrementis bubulis, vel ſucco ceparum, ſale cum ſilicibus &c. variis inde uſibus quoque adaptandum, ut ſic prout lubet mutari poſſit, ſi videlicet inſculptum fuerit quod voluiſti, iterum induretur, & politum aut deauratum conſervetur.

§. 5.

Poſt productionem ferri artificialem liceat addere *compoſitionem artificialem ſulphuris communis* inflammabilis, materiæ ignis univerſalis, ut forte eo melius in naturam principii ſulphuris penetrare queamus. *Stahlius* jam anno 1697. menſe Julio Halæ Saxonum publicavit artificium totum, ratus ſe primum eſſe qui iſtam viam iniverit, cum acido ſale univerſali principium phlogiſton jungendo, quanquam & *Kunkelius* & *Glauberus* aliique ante eum hujus rei mentionem fecerint. Experimentum ipſum „ita proponit laudatus Auctor l. c. Si mihi exhibeatur I. Aci„dum vitrioli aut ſulphuris, nempe acidus ſpiritus vel ole„um ſic dictum horum mineralium. II. Aliquid Nitri aut „Salis tartari, vel tantum cinerum clavellatorum, Nitri fixi „&c. Præter hæc nihil niſi Ignis & crucibulum; quadran„tis horæ ſpatio exhibeo Hepar Sulphuris, ſeu alcali præ„gnans Sulphure, quod inde ſolutione in aqua & præcipi„tatione per acida ſeparatum, colliquatum, eſt idem illud

„ſpecie Sulphur, quod e mineris colligitur. Idem eodem „modo & promtitudine facio ex Tartaro Vitriolato, arcano „duplicato, Nitro Antimoniato. Totum artificium con- „ſiſtit in combinatione illius φλογιςȣ, quod flammam for- „mat, cum hiſce acidis &c. Eſt vero totum hoc experi- „mentum nihil aliud niſi fuſio cum carbonibus injectis &c. „cum vero ſal alcalicum acido Sulphureo Vitriolico ſatura- „tum per ſe non fundatur, propterea addendum prima vice „aliquid quod fluxum ejus promoveat. Inſervit huic uſui „commode pauxillum alcali recentis, cum cujus vel drach- „ma una multæ libræ reduci poſſunt &c.

§. 6.

Septennio inde, anno videlicet hujus Seculi quarto, eadem experimenta *Academiæ Regiæ* communicavit *Pariſiis* Dn. *Geofroy* nulla quidem *Stahlii* mentione facta, ajens ſe ex Analyſi Sulphuris Hombergiana tentare voluiſſe utrum per horum principiorum vel ſimilium novam combinationem Sulphur commune reproduci poſſit, memorat porro & *Boyleum* (uti conſtat) & *Glauberum* iisdem laboribus ad componendum Sulphur commune per artem uſum fuiſſe, ut tacite gloria inventionis *Stahlio* quidem non nominato abjudicetur. Elegans autem quod his addit experimentum eſt, quo Spiritum Vini volatiliſſimum hoc modo celeriter figi docet. Verba *Dni Geofroy* hæc ſunt:

„ſunt : J'ai melé une once de ſel de colcothar avec deux „gros de ſel de tartre, j'ai fait fondre la matiere à grand „feu, & dans le temps qu'elle commencoit à fondre, j'y „ai verſé à diverſes repriſes une once d'eſprit de vin. lors- „que la matiere en ceſſant de bruler a commencé à rendre „une odeur de ſouffre penetrante, je l'ai retiré du feu, la „flamme en etoit bleuatre, & lorsquelle a eté refroidie la „matiere etoit jaune en quelques endroits, & rouge en „dautres avec une odeur de ſouffre ou d'oeufs pourris, „j'enai fait la leſſive ſur laquelle j'ai verſé du vinaigre di- „ſtillé qui ena precipité du ſouffre brulant &c. Poſtquam omnes omnino materias inflammabiles cum his ſalibus idem præſtare dixiſſet, nempe bitumen, petroleum, oleum diſtillatum ſuccini, terebenthinæ, fœtida olea ex regno animali, ligna, carbones lignorum & terrarum &c. pergitita : j'ai voulu faire lameme opration, avec le Sel marin „decrepité & avec lenitre fixé, mais je n'en ai point du tout „retiré de ſouffre : peut étre ces ſels etant d'une autre natu- „re que le ſel vitriolique ne ſauroientils produire de ſouffre.

§. 7.

Audire autem mihi videor iterum *objectiones* : quid hæc ad transmutationem metallorum ? cui bono adducuntur compoſitiones iſtæ artificiales, Vitriolorum, Cinnabaris, mercuriorum, arſenicorum, ferri, Sulphuris &c ?

Vix

Vix quidem ejusmodi cogitationes ſubire poſſunt animum, niſi eorum qui plane in hac philoſophia rudes ſunt. Ut verò omnibus ſatisfiat, reſpondemus; uſum hujus agentis ſeu ignis philoſophici in Chryſopœia ab omnibus in arte peritis mirum quantum commendari, nec non ex ipſo haud minus quam ex oleo Vitrioli præſtantiſſimum haberi mercurium vivum, immo & lapidem ipſum aurificum juxta nonnullos inde parari poſſe, qualem fuiſſe ferunt Tincturam *Böttticheri Auguſto Regi Poloniarum* traditam, de qua in noſtris *Vindiciis Alchymiæ.* Illudque compertum eſt poſſe inflammabilitatem tolli, ſulphurque album & rubeum in Igne permanens reddi, idque metallis, auro & argento, accreſcere. Teſtimonii loco poſſunt inſervire encomia, quæ in his ſacris expertus Rupertus, Regiæ Majeſtatis Polonicæ Conſiliarius, *Dn. Henkelius* in *Pyritologia,* Sulphuri præbet, ſc. maturandi, gradandi, immo transmutandi, tam in minera ſua quam inde ſeparato, cujus rei aliquot experimenta adducit, inter quæ ſequentia leguntur p. 510. „Er (der Schwefel) veredlet die „Erden unvollkommener metallen und macht ſie nach „meiner Erfahrung nicht gar deß geringſten Theils zu „Silber, glaublich auch zu Gold, wenn man die gehöri„gen Ausfinden und Recht bearbeiten wird. p. 511. was „den Schwefel wie er noch in ſeinem Ertz ſtecket, anlan„get, ſo habe ich mit meinem Schwefel-Kieß unzählige

Proben

„Proben angestellet, und befunden, daß man in gewißen „umständen mit demselben auff Veredlung derer metalli-„schen Erden, oder metallisirung roher Erden so was „ausrichten kan, welches mit blossen Schwefel nicht so „von statten gehen will. p. 700. inquit: Ich weiß Erde „die nicht allein weder Silber noch Gold sondern auch „sonsten kein metall halten, aber in Gesellschafft deß Ki-„ses gewiß Silber geben und so viel geben als im Kiß al-„lein auch nimmermehr zu finden ist.

§. 8.

Crescentiam vel *Vegetationem* metallorum, seu *Arbores Dianæ* philosophicas ita dictas, non male pro possibilitate transmutationis allegari per experientiam arbitramur, ejus rei exemplum illustre produximus in *Vindiciis Alchymiæ* p. 244. quod ex communicatione *Borrichii* Bruxellis in Belgio factum esse certiores redditi sumus. Is enim testatur *Dnum Sansimon* sibi serio retulisse, qua ratione pulvisculus quidam aquæ affusæ tantam vim communicarit, ut injecto mercurio creverint fruticeta argentea, quæ igne fusa optimum reliquerint argentum. Duplici immo *triplici* ratione solemus ista fruticeta spectatoribus in laboratorio nostro conspicienda tradere. *Primus modus* fuit per *amalgamationes* varias, digerendo & destillando seu suaviter sublimando; qua ratione ab ini-

tio hujus ſeculi opus *Clettianum* imitantes & poſtea juxta præcepta male formata *Gallandrica* laborantes in auro & argento cum mercurio vulgi ſpectaculum in retorta jucundiſſimum haud paucis monſtravimus, florem enim *roſam rubram* pulcerrimam æmulantem, petala ſua ex uno centro quaſi, vix ultra terram ſuam elevato pediculo, ordine circulari diſtribuentem in retorta conſpeximus, exigua autem illa in medio facta tenuis pediculi inſtar elevatio circello quodam flavo radioſo ſtaminum inſtar ornabatur, reliquâ auri terrâ, cui petala ſeu bracteæ coloratæ rubræ incumbebant, bruno magis colore pulveris inſtar ſe diſtinguente; nulli dubitamus ex accidenti & beneficio peculiaris mercurii purpuram auro extrahentis iſta omnia ita formata fuiſſe, alio enim tempore alioque cum mercurio arbuſcula & fruticeta ramoſa vulgari ſaltim modo ſe oſtenderunt. Modum quo hæc fruticeta concreſcant prolixius deſcribere ſupervacaneum foret, poſtquam eum publice explicuit *Tom. XVI. Act. Acad. Pariſ. Dnus Hombergius.*

§. 9.

Alter modus Arborem Dianæ vulgarem ſiſtens fieri ſolet, quando ſolutio Lunæ per aquam fortem facta affuſa aqua pl. debilitatur & injecta poſt mercurii portio in ejusmodi ramulos ſurgens magneticâ quadam vi particulas lunæ attrahere videtur, cujusmodi luſus varia ſub proportione

tione ingredientium & innumeris fere processibus in vulgus notis passim describuntur, ut eos hîc recensere nimis longum foret, cum nihil facilius sit quam istos imitari. In fodinis quoque subterraneis, qualis in sylva nostra Hercynia ad monasterium *Wittichen* fortunata colitur, argentum suum dictum filamentorum instar tum ex minera coboldi, tum quoque elegantius ex lapide siliceo (quartz) æque ac alibi maxime in Pannonia, efflorescere notorium est; id quod ope agentis sulphurei subterranei fieri solere vix dubitare licet, quoniam illud ipsum eadem ratione ars in crucibulo efficere potest; similia quoque spectacula ope salis argenti solutioni infusi post factam præcipitationem sæpe ad pedis unius & ulteriorem altitudinem è fundo surgentibus columnis cernuntur.

§. 10.

Tertius & forte philosophica speculatione dignissimus *Vegetationis modus* est, qui à *Glaubero Part. II. Furn. Phil. c. 85. ope Silicis* tanquam matricis metallicæ docetur. Totum negotium, prout initio seculi hujus in nostro laboratorio peractum fuit, in gratiam eorum quibus libri ejusmodi ad manus non sunt, huc transcribemus: Silices albos in pulverem redegimus, cujus uncias quatuor cum salis Tartari sex unciis igne fudimus, obtinuimusque vitri pellucidi uncias octo, quod in cella deliquavimus, &

I 2 liquoris

liquoris ſilicum uncias duodecim acquiſivimus, poſtea ſolvimus exiguam portiunculam auri in aqua regia; argenti, cupri, in aqua forti; ferri in ſpiritu Salis; ſtanni in aqua forti diluta; argentivivi, plumbi, in aqua forti; regul. antimonii in aqua regis, marcaſitæ in aqua forti; Zinci in diluta. Abſtractis ad ſiccitatem menſtruis, calces ſingulas injecimus in liquoris ſilicum & Salis Tartari ana uncias quatuor, & ecce in momento creſcebant ſingula metalla inſtar virgultorum & arbuſculorum ſuis ſe formis & coloribus eleganter diſtinguentia, ita ut aurum & Antimonii regulus colore flavo, Luna & Venus ex flavo vireſcente, Mars atro, Jupiter, Mercurius, Saturnus, marcaſita, & Zincum albo conſpicerentur. Hujusmodi vegetationis & ſimilium exemplorum rationes pariter l. c. dedit *Hombergius*, quas & alii in congreſſu acidi aërei cum quodam alcali fixo quærunt.

§. II.

Verum dices fortaſſis quid hæc ad transmutationem metallorum? Reſpondemus, ſi quis vitam metallis mortuis quaſi largiri queat, non procul abeſſe à Philoſophorum ſcopo, qui omnes clamant metalla noſtra operi transmutationis adaptanda, viva reddi debere, & cum de vita eorum vulgo dubitetur, exempla hæc ad minimum poſſibilitatem probare poterunt, quanquam hoc modo non procedant Adepti. Illud tamen quod ex *Borrichio* allegavimus

mus actualem mutationem & conversionem argenti vivi in verum argentum dicit; neque desunt Auctores, qui horum arbutorum fructus maturare, imo ipsas illas crescentias in perfecta metalla figere docent. *Glauberus*, qui hujus cum liquore silicum experimenti auctor est, testatur in hac matrice silicea maturationem, meliorationem, & augmentationem metallorum fieri. Obiter heic notandum *Silicem* haud paucis *Lapidem Philos.* h. e. materiam ejus haberi, unde in splendido opere, quod vocatur *Amphitheatrum Sapientiæ æternæ*, quando hoc subjectum primateriale catholicon sagacioribus revelare voluit *H. Kunrath*, ubi Sal naturæ vocavit, addit: Harpocraticè SILE in Denario X. Neque dubitamus hunc esse illum lapidem de quo *Paracelsus* ait: pastores Germanos sæpe projicere lapidem in vaccam ea longe pretiosiorem. Neque puto meruisse vituperari *Editorem Basilii Valentini* inquientem: puellam sibi lapidis subjectum in platea repertum attulisse nomenque ejus roganti se respondisse; vocari *Lapidem*. Addimus & hoc: cum experiri luberet, an silex sit matrix crescentiæ metallorum necessaria, an vero ea solius alcali & acidi actione peragatur? projecimus calces seu exiccatas solutiones metallicas in liquorem tartari, nulla autem vegetatio sequuta fuit; adeoque si, quod nonnulli faciunt, cum agricultura comparatio instituatur; habebit silex rationem terræ fœcundæ spermaticæ, salia stercora-

 tionis

tionis vicem ſubibunt & culturæ, ſemen præbebunt calces metallicæ. Et quoniam ſilicis in hac operatione neceſſitas patuit, animi cauſſa in gratiam lecturorum, quæ tum conſignavi, ſequens diſtichon ſcriptis inſerui:

LEX Divina tibi Phyſico SIt cognita: SI LEX
Noſtra perit, maneant *lucida* verba Dei.

§. 12.

Ingenioſiora ſunt omnino experimenta Dni *Hombergii*, Viri Germani ſanguinis Spiritu ex oriente animati, inque Chimicis laboribus exercitatiſſimi, quam ut hac in materia ſilentio præteriri poſſint. Inter præſtantiores enim Sacræ hujus Scientiæ inquiſitores ſemper habitus nobis fuit *Hombergius*, & vel ideo æſtimandus, quod approbationem meruit Magni Principis, qui *Regentis Galliarum* nomine Orbi toti noſtris temporibus innotuit, quique non ingenio tantum, ſed & in arte atque omni ex parte, excelluit, Chimicis laboribus proprias manus Regias non denegans, ideoque *le Prince Philoſophe* dictus, quod nos ipſi ad initium hujus ſeculi in Gallia admirati, & poſt plures annos heic loci adhuc experti ſumus, quum Potentiſſimus hic Gallorum Rector laboratorium noſtrum per *Dn. Bœclerum Prof. Argentinenſem* inviſere dignatus eſſet; atque licet optime perſpectum habuerit ſagaciſſimus Princeps tantam opum vim arte Chimica tam facile

acquiri

acquiri non poſſe, quantam aliis artibus Politicis & Actionum, uti vocant, commercio quidam *Lavv* brevi poſtea tempore ſubminiſtravit, magnus tamen artium philoſophicarum & præcipue Chemiæ Patronus ſemper manſit; quod in laudem tanti Principis Glorioſæ memoriæ, & ſimul Artis commendationem inde fluentem, hac occaſione tacere nefas foret.

§. 13.

Primum autem *Experimentum* quo Dnus *Homberg* Academiæ Pariſienſi transmutationis metallicæ poſſibilitatem anno hujus ſeculi nono demonſtrare voluit, nititur praxi introducendi *materiam luminis* in argentum. Jubet ergo ſumi unam duasve ſelibras argenti, easque ſeparari, ut certus ſis nullas inibi particulas auri exiſtere, dein fundi igne centies, ſingulis vicibus per horæ ſpatium in fluxu eas detinendo; quod ſi poſtea illud argentum denuo ſepares in aqua ſua, deprehenſurum te promittit notabilem in eo exiſtere quantitatem auri, quo ante has fuſiones caruit, manifeſto argumento partem quandam argenti, quæ juxta ipſius hypotheſin a materia luminis penetrari potuit, in auri optimi perfectionem hoc quidem tædioſo labore tranſiiſſe.

§. 14.

Nec minus elegans eſt *alterum Experimentum Hombergianum*, quo breviori temporis ſpatio demonſtrat in argento

argento reperiri partes cujusdam *medii* inter utrumque luminare *metalli* haud difficulter in naturam solarem, perficiendi: dum lunam corneam cum regulo destillat, eoque inde abacto argentum residuum aquaforti solvit ut calx auri præcipitetur; repetita autem operatione eadem admodum parum, & tertia vice plane nihil auri amplius inde obtineri dicit, tandemque concludit: reperiri in argento materiam, quæ fieri velit aurum, & in auro adhuc pallidam, quæ per ignem colorem debitum acquirere possit. Ce sont, inquit, ces deux matieres qui sont le metal mojen entre l'or & l'argent, vel *metallum medium* sola fusione ad perfectionem auri redigendum. Quod si ita se res habeat, exiguum nostris Particularistis supererit solatium, quia secundum hanc hypothesin plus auri ex argento obtinere non poterunt, quam quantum ipsa Natura ad hanc transmutationis viam præparavit aut destinavit.

§. 15.

Cognita hodie omnibusque in arte docimastica paulum exercitatis explorata res est, quando examen minerarum cum Saturno instituere jubentur, ante omnia plumbum istud cujus balneo lavare volunt metalla solum cupellæ imponunt, ut liquatum illud, si quid argenti admixtum habeat, granum suum puri perfectique metalli in cupella relinquat, quod deinde ad bilancem accuratissime suspenditur ut calculus justus iniri queat in determinanda

bonitate

bonitate minerarum. Jam vero pariter constat; plumbum istud, quod cum cineritio vitrificatum fuit, si reducatur, plus argenti largiri quàm pro ratione istius grani ab initio explorati. Alterutrum ergo hîc contingere necesse est: sc. aut transmutationem partis plumbeæ in argentum, aut cineritia ista in examine minerarum metalli perfecti aliquam partem cum imperfectis simul absorpsisse; quod ut curatius indagetur, adhibito omni studio in ipsa operatione & elixiviatione cinerum, ceterorumque omnium, quæ requiruntur, præparatione, operæ pretium erit. Fieri quippe hoc igne reverberationis notabiles mutationes, & pondus auctum cineritii cum plumbo, & pondus imminutum plumbi post reductionem satis superque docent. Immo non desunt, qui hoc modo è cineritio verum auri semen vivum, seu tincturam solarem transmutantem, elicere volunt, si quidem prius juxta *Sendivogium* undecies cum Saturno coiverit, vel etiam cum regulo antimonii in vitrum rubiniforme redactum fuerit, unde tinctura extrahi queat.

§. 16.

Si experientia confirmet quæ hinc inde legimus *de Salium regeneratione & permutatione*; quod nimirum quodlibet Salis genus in aliud Sal diversæ naturæ haud difficulter transmutari possit, res erit philosophica con-

templatione omnino digna. Neque præter rem, hoc quicquid eſt, heic adducitur, cum ſalia inter mineralia, uti loquuntur, minora communiter numerentur. Promittunt autem Auctores, ſi quod transmutare velis Sal Spiritu ſuo ſeu parte volatili privatum fuerit, & recipiat volatile vel ſpiritum illius ſalis quod producere cupis, tranſiturum illud eſſe in naturam ſalis cujus ſpiritum addidiſti. Quo fundamento illud menſtruum univerſale ſeu *Alkaëſtum Glauberi* niti tralatitium eſt.

§. 17.

Non contemnendum videtur argumentum pro poſſibilitate transmutationis metallicæ adſtruenda, quod depromitur ab analogia *lapidificationis lignorum*, quo ſimul modus ſecundum quem agere queat *Lapis philoſophorum* ſeu medicina transmutativa, in metallis dilucide explicari videtur: quemadmodum enim, ut verbis viri celeberrimi utamur, ſuccus petrificus lignorum aliorumve „corporum poris ſe intrudens tantam vim obtinet, ut ipſa „corpora quantumvis à natura lapidis aliena in lapideam „ſubſtantiam convertat, quod ſæpe contingere novimus „brevi paucorum horarum tempore; cur ſimili ratione E„lixir, aut medicina aliqua Chymica ad maximam tenuita„tem redacta & perfecta fixatione exaltata, non poterit im„perfecti metalli poros (fuſione apertos) omnes permeare

atque

„atque ipſis inhærens partium texturam commutare, & ſi „quid crudum eſt concoquere, digerere, ac fixare, uno „verbo in perfectius metallum transmutare? præcipue „vero quia longe minus diſtare videtur unum metallum „ab alio, puta cuprum vel argentum ab auro, quàm a la- „pide multa alia corpora, quæ novimus brevi temporis „ſpatio fuiſſe in lapidem transmutata. Aliis vero expen- dendum relinquimus, utrum hoc ratiocinium eo usque extendi poſſit, ut modo plane naturali, quod vult *Beccherus*, explicari queat, & probari veritas hiſtoriæ qua *Johannes Evangeliſta* virgulta in aurum vertiſſe dicitur; juxta hymnum in laudem tanti Apoſtoli feſto ejus nominali in Eccleſia, cujus teſtimonium majoris æſtimandum eſt quam privata ſexcenta alia, publice cantari ſolitum, qui incipit: *Gratulemur ad feſtivum* &c. quo porro ſequentia de *Johanne* cantantur:

Cum gemmarum partes fractas
Solidaſſet, has diſtractas
Tribuit pauperibus.
Inexhauſtum fert theſaurum,
Qui de Virgis fecit aurum,
Gemmas de lapidibus.

§. 18.

Curioſitatis gratia addam experimentum, quod olim artifici cuidam ſatis quidem pauperi, ut fert horum homi-

num conditio, concessi, ut in laboratorio meo ad artem demonstrandam, uti locutus est, efficeret, me quidem omnia subministrante. Ita vero processit: primo ex æris usti unciis duabus ope aceti destillati fiebant crystalla cœrulea elegantissima, ea terendo admiscuit lunæ cornuæ unciæ mediae, sublimando excitavit flores subflavos, quos in lunae fusae drachmam cum injecisset, effusis omnibus habuit drachmas duas auri paulo pallidioris. Sed quia hoc aurum curatiori examini subjectum non fuit, plura asserere non possum, quoniam autem experimentum haud difficulter a quocunque non plane harum operationum ignaro tentari & ulterius examinari potest, illud addere non dubitavi.

§. 19.

Simile fere Experimentum alius cum *Marte* in eodem nostro laboratorio nostris quoque sumtibus haud feliciter tentavit. Ita a. rem se instituisse dixit: Limaturam Martis sulphuratam, cum auripigmento, sublimato & Sulphure antimoniali sublimavit aliquoties, pulverem dein lunae admiscuit cementando, postea cuncta Saturno in cupella examinanda dedit atque ita ex semuncia argenti hujus in aqua forti soluti, quod quidem antea ab omni auro separatum fuit, grana tria cum semisse pulcerrimi optimique auri obtinuit; quod experimentum licet lucrosum non fuerit, veritatem tamen transmutationis satis evincit.

§. 20.

§. 20.

Unum quoque ex *regno meteorico* & materia Universali, iis qui extra urbem in agris habitant, ad demonstrandam artis seu transmutationis metallorum veritatem, facile tentandum, adducere liceat ex Comitis cujusdam Experimentis, quo residuum, quod post evaporationem aquae pluviae remansit, destillatione ulteriori dividitur in sal volatile & oleum, quorum utrumque vel alterutrum in plumbo fuso injectum metalli perfecti, argenti vel etiam auri, aliquod granum haud spernendum largiri, adeoque partem plumbi in metallum perfectum transmutare dicitur. Tentare cum rebus minime pretiosis parum nocebit, & si succedat experimentum, transmutationis metallicæ possibilitatem facili opera demonstratam quis habebit, neque usu philosophico hinc redundante carebit.

§. 21.

Denique pro veritate laborum philosophicorum circa meliorationem metallorum haud parum loqui nobis videntur *Fabulæ* gentilium, quas nemo sanæ mentis credere potuisset nisi mysteria in iis latere persuaderetur. Ex pluribus illa *Argonautarum*, seu, quam in Procemio explicuimus, *Velleris Aurei* historia, & adulterium *Veneris* cum *Marte* congredientis, haud difficulter in hunc sensum trahi possunt. Et quia jam ante triginta aliquot annos MStum quoddam Fratris Roseæ crucis in manus nostras incidit,

in quo Processus aliquis sub forma Apologi seu Fabulæ Ovidianæ mysticè descriptus habetur, illum Coronidis loco legere Lectori B. non grave erit, bona fide prout verba habent totum damus, sunt autem sequentia: Venus, quam Vulcani perhibent conjugem, quodam tempore amoris flamma Martis fruendi amplexus tota accensa, Martem desiderii hujus sui fecit conscium, eumque, quo eo felicius factum hoc lateret maritum, in terreum spelæum invitavit. Mars eodem amoris œstro percitus nuntium hoc læto accipiens animo in spelæum destinatum suo & amatæ voto satisfacturus se contulit. Vulcanus, Zelotypia erga conjugem totus intricatus, suspicione an amici cujusdam admonitione permotus, diligentius omnes conjugis actus gestus & gressus observans in speluncam illam ingredientem cernens Venerem, ex templo illam clam insequitur & ambos oscula libantes invicem & dulcibus interlocutionibus ad extremum amoris actum se accingentes deprehendit. Vulcanus etsi hac conjugis lascivia injuriaque à Marte sibi illata in furorem penitus esset abreptus, Martis tamen pertimescens violentiam & rabiem, maluit ingenio & dolo quam vi utriusque ulcisci injuriam, eosque materiæ fumum copiosum & tetrum excitantis repetita injectione separare, & concubitus consummationem prohibere tentavit. Cognoscens vero hunc suum conatum omnino irritum, (quo enim fumus copiosior surgebat eo

magis

magis coalescendi invalebat ardor) vindictæ cupidus aliam ingredi secum instituit viam. Accedens ergo Lycaonem, ab illo petiit ut in speluncam irrepens ferocia sua nexum illum dissolveret, & impediret illicitum. Lycaon Vulcani petito annuens, ambos complexui jam implicitos invadens, (carnium earundem avidissimus) eos 5. vel 6. horarum spatio penitus consumsit, ipse tamen ob paulo avidius deglutitas carnes una in cadaver versus. Vulcanus elapso hoc tempore spelæum accedens & eventum intuens, reliquit quidem ita immotum, brevi tamen post, quid factum mente revolvens, totus in rabiem actus, spelæumque ipse invadens illud ne superesset vel loci tam indigni facti memoria totum confregit & rupit. Destructo spelæo videt ex hac trium destructorum corporum commixtione prolem, hermaphroditum puta, prodiisse; quam rem utpote admiratione dignissimam universo Deorum consessui exponente, Diana conventui huic Deorum simul præsens, hac de stupenda hermaphroditi ex interitu parentum genesi audita narratione, non solum cum reliquis Divis in admirationem abrepta, sed insuper, reliquis Deabus curiosior, curiositatis telo adeo sauciata, facere non potuit, quin Vulcanum humilibus precibus fatigatum desiderio arcana Hermaphroditi hujus explorandi instigata, requisiverit ut eidem ex conjuge & Marte superstiti proli secum idem intrare balneum permitteret; quo impetrato, sine mora adornari

sibi

ſibi balneum curavit, in quo per 8. vel 10. horas cum eodem commorata, ſenſim conſumto hermaphrodito, ipſa tandem, repurgata tamen prius à ſordibus, ab Hermaphrodito aſperſis, veſte, balneo egreſſa in ſplendore & majeſtate Solis, ſui conjugis, cunctis diis admirantibus videndam ſe exhibuit. Nulli dubitamus explicationem hujus fabulæ artis noſtræ inquiſitoribus, prout nobis quoque plana viſa fuit, fore facilem, ut proceſſum, quem exinde eruimus & noſtro in laboratorio fieri curavimus, addere ſupervacaneum videatur.

§. 22.

Auctoritatibus ſi pugnare velimus integrum volumen conſcribere foret facillimum; nolumus autem iis immorari, neque aliam heic allegare, quam Celeberrimi *Stahlii*, quem apud maximam partem modernorum Phyſicorum plus valere novimus, quam *Lullium*, aut integram Veterum Philoſophorum phalangem. Ipſe autem in *Fundamentis Chymiæ* ſub finem libri expreſſis verbis poſſibilitatem & veritatem Artis Transmutatoriæ ita aſſerit: ut, abſtrahendo à divina providentia in hoc opere omnino ſingulari, *rem ipſam in ſe ſeu modum converſionis metallorum in aurum Phyſica æſtimatione viliorem ſe credere profiteatur, quàm ſationem frumenti aut miſtionem maſſæ panariæ. Moralem vero ejusdem & æſtimationem & uſum bene utenti inæſtimabilem, male uſuro*

usuro exitialem. *Historias* transmutationum qui legere cupit, aliquas collectas in *Vindiciis nostris Alchymiæ* deprehendet, quibus adhuc plures addi possent. Ex iis autem, quarum fides in dubium vocari vix potest, meretur insuper allegari illustrissimi *Comitis à Würben* adhuc in vivis, testimoniis in foro valentibus confirmata, transmutationis historia, in Commercio litterario recentissime descripta. Quæ olim in aulis Imperatoris *Rudolphi II.* & *Augusti I.* Electoris Saxoniæ data sunt specimina hujus Artis vix ab incredulis negari poterunt, nisi rationem omnem exuere velint. Specimen *Particulare Paykulis* Holmiæ decollati coram Consiliariis Regiis editum, & ab *Illustrissimo Domino Comite Bonde* ad nos gratiose transcriptum, fidem meretur plenam. Cetera quæ l. c. legi possunt, nunc tacemus.

§. 23.

Restat autem ut ad *Dubia* quædam in contrarium moveri solita paucis respondeamus. *Primum* sit, quod celeberrimus Professor Halensis & Primarius Regis Borussiæ Archiater, *Fridericus Hoffmannus L. III. Obs. XX. p. 369.* movet; quando putat Artis transmutatoriæ existentiam solidissimo argumento ex gravitate auri specifica deducto recte negari. postquam dixisset, idque recte, quod nec color auri similis, nec splendor, neque fixitas in igne, aut perseveratio in capella, auri naturam & essentiam absolvat,

 sed

ſed ſpecifica gravitas, quæ ipſi eſſentialis & inſeparabilis eſt, qua præſente & ceteræ auri proprietates facile aderunt; „pergit ita. Jam quæſtio oritur num in rerum natura inani-„mati unius corporis gravitas ſpecifica in exquiſite alteram, „conſequenter etiam in ſtructuram & texturam ſimilem par-„tium per exiguam corporis molem converti poſſit? Et cum „ne ullum quidem in aliis rebus hujus generis occurrat ex-„emplum, ſine injuria etiam de *impoſſibilitate* hujus artis, „quæ uti omnium vetuſtiſſima, ita etiam figmentitia eſt, „dubitamus, donec tale experimentum occurrat, quod nul-„lam amplius dubitationem in facto admittat. Poſſemus quidem facile reſpondere cum *Cicerone* : Ubi teſtimonia rerum adſunt quid opus eſt verbis? Sed cum vir Celeberrimus hæc forſan dari neget, arbitramur ipſummet ſibi ex propria hypotheſi facile reſpondere poſſe, quia mutatio gravitatis â mutatione texturæ partium dependet juxta ipſius propriam confeſſionem, textura vero partium vel ſolo igne in momento poteſt alterari, cujus rei exempla multa in natura ſunt obvia, quando ergo ejusmodi medicina fulguris inſtar, prout rem explicant philoſophi, poros metalli igne fuſi permeat, magna utique texturæ partium alteratio momento fieri, partesque arctius coire, adeoque metallum denſius,&per conſequens gravius reddi poteſt;gravitas enim a majori partium numero ſub eodem,vel quod idem eſt, ab earundem partium numero, ſub minori ambitu, dependet. Condenſationis autem corporum, ſervata eadem materia in

arctius

arctius ſpatium coacta, nonne multa dantur exempla? *Hoffmanni* argumentum ſaltim eos ferit qui ſola tincturæ alicujus extractione & projectione in aliud corpus non præparatum hoc opus abſolvi poſſe putant, quæ mens non eſt Adeptorum, qui Mercurium habent ipſo auro ponderoſiorem, quo & ſuam tincturam præparant, quæ, tanta quanta eſt, Mercurius ſaltim magis digeſtus vocari poteſt. Unde aliquid ſubolfeciſſe cenſendus eſt Celeb. Dn. *Boerhave*, quando de Mercurio DXI vicibus deſtillato & inde propius ad auri gravitatem accedente quærit: An Mercurius opere continuato tandem poſſet denſari in pondus auri? an tum eſſet aurum vivum vel mercurius philoſophorum? Conſideret porro, ſi placet, vir doctiſſimus, quam parum abſint illa corpora in quæ projectio fieri plerumque ſolet à pondere auri, maxime mercurius purificatus, adeoque & plumbum & reliqua metalla, quoad partem ſui mercurialem, quæ ſola eſt proprium primumque transmutationis hujus ſubjectum, & ſic facile differentiam obſervabit, cur alia corpora non eadem ratione vel facilitate gravitatem ſuam ſpecificam in exquiſite alteram convertant. Poteſt fieri oleum vitrioli aquæ inſtar limpidum, quod nihil eſt quam mercurius liquidus, & ipſo auro gravitate propemodum æquale; manifeſto argumento mercurialitatem puram, liceat ita loqui, vel jam habere, vel parum abeſſe ab auri gravitate ſpecifica. Supra quoque locuti ſumus de modis reddendi Lunam compactiorem, magisque ad auri pondus approximantem

 qui

qui tamen longe infra virtutem lapidis exiſtunt, hic enim metalla in fluxu permeando in momento partem ſibi homogeneam congregare poteſt, ut ſimul heterogenea ſegregentur, cujus operationis nullam video *impoſſibilitatem*. De qua utique ſine injuria dubitare potuit *Dominus Hoffmannus*, prout omine bono verba Obſervationis habent.

§. 24.

Hæc in gratiam Viri doctiſſimi, & magni de cetero æſtimandi, dicta ſint; potuiſſemus hanc objectionem præterire, quippe quæ contra poſſibilitatem transmutationis metallicæ, prout à nobis definita fuit, non pugnat. Speramus autem virum celeberrimum haud male interpretaturum eſſe, quæ veritatis cauſſa ut modeſte adderemus, eo magis neceſſarium nobis viſum fuit, quo major eſt viri experientiſſimi apud omnes Auctoritas. Certi ſumus ea ipſum fore ingenuitate, ut haud ægre ferat quæ ex candore philoſophico protulimus, & ſi placet in noſtram redeat ſententiam, cum vix nobis perſuadere poſſimus tantum virum ex animo Artem hanc vocare figmentitiam. *Reliqua*, quæ alicujus videri poſſunt momenti, *dubia*, ad ſequentia fere reduci poſſunt:

1.) *Nullibi* reperiri ejusmodi *Adeptos*, ſed quotquot hinc inde currunt, Alchymiſtas egenos eſſe.

2.) Cum his temporibus *Artes* multo majora incrementa ceperint, quam olim habuerunt, *in nulla* tamen *Societate* vel *Academia* hanc Artem inventam legi.

3.) *Pro-*

3.) *Processus* Saxonicos & veterum Philosophorum, nunc in vulgus notos, *frustra* peritissimis artificibus *tentatos*.

Ad *Primum* respondemus: an ullibi hac ætate vivant Adepti? nos quidem ignorare, si quidem id soli fere Adepti singulari artificio explorare queant, hoc vero ex illorum scriptis didicisse, eos filios Artis monere ne publice se ostentent, neque ad luxum thesauris suis abutantur, immo nec liberis propriis mysteria revelent, sed potius paupertatem simulent, sola cognitione Divina contenti, vanitatum mundanarum inimici. Ceterum quivis, qui paulo plus sapit quam occisa sus, distinguere sciet inter Alchymistas impostores & Philosophos.

Quod ad *alterum* attinet, illud magnam habet speciem, fatemur, nihil enim hîc, vel mediorum vel artificiorum requisitorum quicquam, deest. Quare ad hoc dubium vix aliud respondere possumus, quam illud: Singularem in his sacris providentiam divinam, quæ dat vel auffert quando vult, agnoscendam esse.

Tertium utut inexpertis magni momenti videri queat, nos tamen parum movet, qui quantum inter τὸ *Scire* & *Facere* inter sit dudum experti sumus; minima quippe circumstantia, vel ignota vel neglecta, totum negotium variat. Ut taceamus è millenis vix unum ad ejusmodi labores per longum tempus continuandos aptum esse.

TANTUM HAC VICE.

D. S. L.

COROLLARIA
AD UBERIOREM MATERIAM DISPUTANDI ADJECTA.

I.

ALchymia est *Progenies Sapientiæ*, de qua *Sepher Misle C. III. 16.* Longitudo dierum in Dextera illius: in Sinistra illius Divitiæ & Gloria. juxta versionem Germanicam: Langes Leben ist zu ihrer rechten Hand, zu ihrer Lincken ist Reichthum und Ehre. Vel, si placeat Versio Gallica: Longueur de jours est en sa dextre, & en sa main gauche richesse & honneur. Ses voyes sont voyes plaisantes, & tous ses sentiers ne sont que prosperité. Elle est *l'arbre de vie* a ceux qui l'empoignent, & sont rendus bien heureux tous ceux qui la tiennent.

2. Parum refert utrum scribatur, cum articulo Arabum *Alchymia*, an sine eo *Chymia*, vel *Chimia*, vel *Chemia*, an dicatur *Halchymia*, aut *Spagyrica* &c. Omnia hæc nomina unum idemque nobis significant.

3. Ita quoque *Alchymia* & *Philosophia Naturalis Experimentalis*, aut nihil differunt, aut illa saltim est hujus *Pars* quædam præcipua.

4. Utrobique enim *Corpora* & *Spiritus*, extra statum suum naturalem ponuntur, *dividuntur*, *componuntur*, variisque usibus adaptantur.

5. Utraque etiam varie *dividi* potest, vel ratione *Finis*, vel *Objecti*, vel *Operationum* ipsarum, vel alio respectu, & hinc varia subire nomina.

6. *Natura* ipsa *Chymicum* semper agit sapientissimum indefessum: corrumpendo, generando, segregando, congregando, solvendo, coagulando, extrahendo, purificando, remiscendo, subtilisando, incrassando, sublimando, præcipitando, destillando, cohobando, humectando, exiccando, calcinando, fixando, digerendo, maturando, reincrudando &c.

7. *Ars* igitur imitatur *Naturam*, sed & ulterius progreditur.

8. *Putrefactio* & *Incineratio* sunt præcipua mutationum media, in Arte & Natura.

9. Ab *Auctore Naturæ* hæc optime discitur; unde omnis scientia humana absque vera *Dei cognitione* est manca.

10. Rebus omnibus inesse *vim activam* & *passivam* loquitur Experientia, non stultorum sed sapientum Magistra.

11. *Ex actione* & *passione* duorum pluriumve subjectorum fit alteratio, & rerum *immutatio*.

12. Solus DEUS est immutabilis.

13. *Recentiores* Philosophi, utcunque laudabiles sint eorum in Naturali Scientia progressus, nondum ad culmen *Antiquæ* Philosophiæ ascenderunt.

14. *Nihil temere credere* est Via ad locum Fundamenti, cui superstrui queat *ædificium Philosophicum*.

15. Hoc

15. *Hoc* videtur non male comparari civitati & *turri nunquam absolvendæ*, quam ædificabant *filii haAdam*, quorum unus alterius labium non audivit. *Genes XI.*

16. *Mythologia* est procul dubio, magnam partem, arcana veterum Philosophia, maxime *Naturalis*.

17. *Dianam Jovi* nupsisse, & ex eo *Rorem* peperisse, haud inscite veteribus dici, capiunt illi qui Mercurium Universalem inde parari norunt.

18. Per *Pandoram* à Vulcano jussu Jovis fabricatam, quam singuli dii suis ornarint donis, qui Naturam Universalem intelligunt, quam proxime *Hesiodi* mentem assequi videntur.

19. Quatuor modis potest fieri *Iter Colchicum*: scilicet 1. volando per *Aërem*. 2. navigando per *Aquam*. 3. eundo per *Terram*. 4. equitando in *Animali*.

20. *Hermes Trismegistus* dictus fuit, quod *tres* partes Philosophiæ sciverit; quanquam juxta *Suidam* de Trinitate quoque locutus fuerit.

21. *Tres* partes Philosophiæ dicuntur, cognitio trium regnorum, *Mineralis*, *Vegetabilis* & *Animalis*.

22. Hæc quidem tria regna sufficiunt, possunt tamen etiam dici quatuor, & prioribus addi *quartum*, scilicet *Regnum Meteoricum*.

23. *Aër* est Templum in quo fiunt *Cœli* & *Terræ* connubia.

24. Occultum in *Aëre vitæ cibum* esse Autor Novi Luminis Chemici recte asserit.

25. *Aëris compressibilitas* nondum satis est explorata, præbetque phænomena stupenda.

26. *Aër* quo magis comprimitur eo majores acquirit vires, nec minus manet *pellucidus*, nec fit *aqua*.

27. Qui *Aërem* condensare potest, ut neque sibi relictus, neque ad ignem suum exerceat elaterem, crystallos, gemmas, adamantem &c. fabricare poterit, juxta Novum Lumen Chemicum.

28. Quo *densius* redditur corpus (etiam ipse *aër*) eo fit *ponderosius*.

29. Densitas non obstat pelluciditati.

30. Nullum Corpus destituitur *poris*.

31. In uno eodemque corpore possunt esse *Pori* diversa magnitudine & figura prædití.

32. *Gravitatis* differentia non minimum pro *Vacuo* argumentum præbet.

33. In uno eodemque subjecto potest esse & Gravitas & Volatilitas, nec non fixitas & subtilitas in maximo gradu.

34. E Fixo potest reddi Volatile, e Denso Rarum, e Gravi Leve; & vice versa, e Levi Grave, e Raro Densum, e Volatili Fixum.

35. *Au-*

35. *Aurum* adeo *ſubtile* reddi poteſt ut cum Spiritu vini deflagret, totumque in auras abeat, licet in naturali ſua craſi omnem *Vulcani* vim in æternum ſpernat.

36. *Auri Extenſibilitas* tanta eſt ut unum granum in 100000 partes, æque magnas atque ipſum fuit granum, forficula dividi poſſit.

37. Ulterius ſe extendit aurum in vitris tingendis, quando cum *Jove* præcipitatum fuit, uti *Kunkeliana* experimenta demonſtrant.

38. *Proceſſus* Philoſophorum plerique ſunt *falſi* & tamen iidem *veri*.

39 *Philoſophus* non ſequitur alienum proceſſum, ſed ſibi ipſe format proceſſus prout vult.

40 Nullum Experimentum *inutiliter* inſtituitur; nam quod non ſuccedit plus ſæpe docet, quam quod ſuccedit.

41. Qui nihil in laboribus ſuis intendunt præter auri vel argenti productionem, *Philoſophorum* nomen non merentur.

42. Philoſophus pluris æſtimat mutationem *auri* in *ferrum*, ſeu pretioſioris metalli in vilius, quam vilioris in pretioſius.

43. *Ferrum* homini magis neceſſarium eſſe quam *aurum*, illius copioſus ubique proventus, & hujus rariſſimus, ſatis probant.

44. Egregius legitur locus *Esdræ, L.IV. C.VIII. v.2.* quo Angelus *Uriel* reſpondet: *Terram* dicturam eſſe quærenti, quod copioſam quidem humum pro fingendis vaſis fictilibus, *paucum* autem pulverem producat, unde *aurum* fit.

45. *Ferreos* dari Homines non ſaltim in ſenſu morali & metaphorico, ſed in ſenſu phyſico & proprio, ſtatuimus.

46. Qui *Influxum Aſtrorum* negant, tenebris denſis immerſi *lucem* ignorant, neque *nexum* ſyſtematis mundani perſpiciunt.

47. *Aſtra* ab incolis *habitari* naturæ ſingulorum congruis, probabilius videtur, quam adeo vaſta corpora eſſe vacua. Utrum locus apud *Nechemiah* C.IX. 6. in hunc ſenſum explicari poſſit? disquiſitioni reſervamus.

48. Lapides *figurati* non probant *univerſalitatem* diluvii.

49. Diligentia & Experientia *Glauberi*, Ingenium & Eruditio *Beccheri*, Fortuna & Ars *Kunkelii*, in unum ſi coaluiſſent, accedente Pietate, *Chemicum* Excellentiſſimum formaſſent.

50. Recte *Conradus Hornejus*, Profeſſor in Academia Julia quondam celeberrimus, in *Compendio Philoſ. Natur. Diſp. X. Th. 26.* Si *Natura* transmutare metalla poteſt: (quod in metalli-fodinis fieri quotidiana experientia foſſores docet) poteſt etiam hoc *Ars*, applicando ſcilicet ſibi inter ſe naturalia agentia & patientia. Nihil hoc abſurdum eſt, nec impoſſibile: *poteſt igitur fieri.*

❁ (o) ❁